13
4 B
16

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27 – 11 – 23

13-7 [redacted]

ANDREAE RECICII

INSTIGATORIS REGII V. NOB.

ACCVSATIONIS IN CHRISTOPHORVM SBOROVIVM ACTIONES TRES.

De fide publica.
De præſcriptionibus ante iudicium oppoſitis.
De criminibus.

BIBL. SEC. COL. ROM. SOC. IESV.
IHS
ROMA

CRACOVIAE
Typis Lazarianis. Anno Domini.
1 5 8 5.

ANDREAE RECICII INSTIGATORIS REGII V.NOB.

accuſationis in Chriſtophorum Sboro-vium actio prima

De fide publica.

CVM primò Chriſtophorum Sborovium Sereniſsime Rex, ampliſsimiq́. Senatores, conſiliorum ac ſocietatis contra remp. cum immaniſsimo hoſte eius Moſco initæ, inqve ipſum Regem maieſtatis reum feci; ita cauſam agere cõſtitueram, ut qvod in qvibuſdam rebuſp. lege ſancitum fuiſſet, id ego conſilio ac voluntate præſtarem: aliamqve orationem nullam, qvàm qvæ ad crimina ipſa demonſtranda pertineret, in actione hac adhiberem. ſive enim accendendi animi eorum eſſent, qvi de eo cognoſcerent, qvem res ipſa tam atrox non commoviſſet, oratione mea commotum iri qvî ſperare poteram? ſive ad reip. curam revocandi: ab eo, qvi ſuæ ipſius ſalutis cura, qvam unà cùm omnium appetitam videret, non afficeretur, ut publicæ rationem haberet, ne poſtulandum qvidem

videbatur. Qvod conſilium meum ut mutarem, rei inſtitutum facit. qui alia ratione in hoc iudicio pugnandum ſibi putat, qvàm ab aliis reis in aliis iudiciis ſolet. Non enim id agitur, ut innocentiam ſuam, ut integritatem mihi opponat: ne inficiatione qvidem criminum, aut occultandi ea ſpe, nulla deniqve ſi non honeſta, probabili tamen ac uſitata defenſionis ratione magnopere nititur: id, qvòd nemo tam improbus reus eſt, qvi poſtulare audeat, ne omninò iudicium ſubeat, vel ſi ſubterfugere id non poſsit, ut pænam tamen effugiat, contendit. Qvi conatus eius, conſilia, poſtulata in proximis conuentibus nobilitatis fuerint, iam anteqvàm dies dicta ei eſſet: qvæ orationes ad invidiam iudicio huic conflandam accommodatæ, qvæ miſericordiæ imploratio, deploratio libertatis, ſeruitutis denunciatio, neminem eſſe arbitror, qvin memoria teneat. Qvorſum hæc omnia, niſi ut iudicio, cui innocentia fretus committere ſe non audeat, turbis, ac interceſſionibus eripiatur? At qua ratione? Ea, quæ vel maximè ad vindicandum valere debebat: ne novum genus qvæſtionis decernatur, petunt: qveruntur de Senatus conſulto eo, qvo ut ad cauſam dicendam eum Rex vocaret, ſatis freqvens Senatus author Regi fuerat: in uſitatum ac in auditum penè in hac rep. eſſe dicunt, ſubiectum à principe maieſtatis accuſa-

cuſatum, aut tali crimine in iudicium vocatum fuiſſe. Qvæ ſi ego concedam, illi viciſsim mihi concedant, neceſſe eſt; nec in qva rep. minora ac privata delicta animadvertantur, in ea grauiſsima peccata, qvæ rempub. ipſam oppugnent, impunita eſſe debere: nec leges aut iudicia, ſi exerceantur, accuſanda, ſed audaciam tantam, improbitatemque ſingularem, quæ tam inuſitato ſcelere rempub. violare non dubitarit, eo maiori odio dignam eſſe. Qvid enim eſt? tu cùm atrociſsimi criminis accuſeris, non qvomodo te purges, quæras; ſed ne omninò cauſam dicas, pugnes: crimen transferre à te non coneris? novitate commemoranda invidiam iudicio te conflaturum exiſtimes? ſed tamen in qva tandem repub. hæc ab illis diſputantur? in ea nempè, in qva Spitko Melſteinius clariſsimo patre natus, áuis, maioribus qvamùis mortuus in iudicium pertractus, maieſtatis condemnatus, nudusqve publicè abiectus fuit; ut cùm ipſe ſenſum doloris morte iam effugiſſet, tam nefarii tamen ſceleris pænam ignominiam corpus non effugeret. In ea deinde, in qva cum reliquas ferè cauſas omnes à iuris civilis ratione ſeiunctas ſuis qvibuſdam legibus ad reipub. huius formam accommodatis maiores noſtri circumſcriberent, hoc iudicium & ipſum uel diligentiſsime conſtituerint. Extat enim lex, qvæ de cri-

mine hæreſis perlata eſt, qvæq́. ad criminis maieſtatis formam cognoſci de eo iubet. Eam autem qvam præſcribit? tanqvam in maieſtatis crimine, inqvit, per qvoſcunqve non modò magiſtratus verùm etiam nullo magiſtratu præditos capiatur, puniaturq́ve. Addit pænam, ut bona publicentur, ipſe poſteritasq́ve eius in perpetuum infamis ſit: ſi in poteſtatem cuiuſqvam perveniat, ut ultimo ſupplicio afficiatur. Idem ergo hic iudicium noſtræ leges in perduellem, ac hæreticum dictant, qvod in eorundem criminum reos eæ leges, qvibus alij ferè populi chriſtiani utuntur. Qvid enim ferè aliud leges eæ duri habent, qvàm qvod noſtræ leges non immeritò duriſsimum iudicarunt, ut priùs in vinculorum ſervitutem civis incidat, qvàm iudicio libertate privatus ſit: cùmqve aliâs nemo indicta cauſa condemnari debeat; hîc primùm ſummatim ſaltem dicta: deinde apud qvemcunqve iudicem, dicta condemnetur? At idem diſertè hæc lex in maieſtatis ac hæreſis reum ſtatuit. Itaq́ve fuerunt eius legis capita qvædam deinde partim ſublata, partim correcta, partim moderatione qvadam mitigata. Conſecuta enim mox Iagellonis lex fuit, qvæ qvenqvam niſi iudicio prius convictum in vincula conijci vetat. Correctum & illud caput fuit, qvo ad miniſtros etiam regios crimen hoc pertinebat. Nam cùm & antiqvi-

oribus

oribus temporibus reip. Romanæ non modò ad populum Rom. ſed magiſtratus etiam ac legatos; & poſtea cùm in unius imperium conceſſiſſet non in principes ſolos, ſed in comitatum etiam ac conſiliarios principum crimen hoc committeretur, hic lege lata ad Regum perſonas ſolas aſtrictum fuit: Poſterioribus temporibus omnia etiam capitalium rerum iudicia è regia ac à magiſtratibus ad comitia revocata fuerunt. Qvæ leges, cùm certa ſuperioris legis capita emendant, reliqvis maiorem authoritatem eas tribuere qvis non intelligit? Itaqve cæteris eius partibus ferè correctis crimen nihilominùs & pæna manſit. Et tamen ne nova qvæſtio decernatur, poſtulare non verentur. qva qvid opus eſt? crimen enim maximum eſſe, qvod in iudicium vocatur, num ambigitur? à nemine. puniendum, ſi doceatur? ne id qvidem credo qviſqvam tam impudens ſit, qvi poſtulare audeat. Qvid igitur? Vtinam tam facilè de alijs rebus convenire inter nos poſſet, qvàm de hac convenire debet. Illi ſingulare facinus eſſe, qvod defertur, negare non audent: ego eo iudicio, qvod ad communia, & qvotidiana delicta adhibetur, utor. Qvid hic eſt, de qvo vel impudentiſſimus reus recuſare poſsit? vocavi ad comitia, in qvibus de omni crimine cognoſci debet: ut in præſentia omnium ordinum, totiusqve reipub. oculis ſe purget,

purget, poſtulo: non ut ex vinculis cauſam dicat: non ut per magiſtratum aliqvem opprimatur peto: nihil deniqve eorum, qvæ iure civili ad crimen hoc perſeqvendum prodita ſunt. repudiat hæc iam dudum libertas noſtra, ac, ut dicam qvod ſentio, ne Rex qvidem hic eſt, qvi vel cupiat id vel flagitet. Qvi verò hoc modo, qvo hic vocatus eſt, in iudicium vocatus nihilominus omnes ſubterfugiendi eius rationes qværit; qvid aliud agit, qvam ut proprio conſcientiæ ſuæ iudicio condemnatum ſe oſtendat? qvæ niſi graviſſimum teſtimonium ipſa contra eum diceret, non ne publicè innocentiam ſuam teſtatam eſſe uellet? non operam ipſe daret, ut non modò ſcelere ipſo ſed ſuſpicione etiam ſceleris careret? non ut maximè nullum iudicium conſtitutum eius rei eſſet, cùm tamen tanti facinoris fama de ſe ſparſa eſſet, tam freqvens rumor increbuiſſet, non ipſum ſe cognitioni offerret: excuti omnia conſilia cogitationesqúe ſuas peteret. Iam autem qvid aliud ipſe qvodammodo dicere videtur, qvàm, crimina, qvæ in me conferuntur, non nego: patriam crudeliſſimo hoſti Moſco in ipſo graviſſimi belli ardore, qvantum in me fuit, auro vendidi: pecuniam ab eodem contra patriam accepi: fidem iuſiurandumqúe ei dedi: Regi ipſi inſidiatus deinde ſum: reipu. ſtatum mutare volui: fateor: harum tamen rerum iudicium

dicium ſubire non cogor: non moris eſt: non uſitatum eſt: Iuris deniqve huius libertati repugnat. Qvæ ſi qvis admittat: qvis autem probet niſi planè demens? ſed tamen ſi qvis admittat, is qvomodo non ſimul, duas ſanctisſimas res,& ſine qvibus nulla unqvam hominum ſocietas ſubſiſtere potuit,è repub. tollit, fidem, & iudicia. Etenim ſi impune Regis vitæ inſidiæ fieri poſſunt, fruſtra fides illi data eſt: nullam authoritatem confœderatio pro ipſius dignitate atqve ſalute ſuſcepta obtinebit. Qvid verò populis appetentibus honeſtatis, atqve laudis avidis graviùs accidere poteſt, qvam qvod nonnullis gentibus, ut Valachis, ac aliis qvibuſdam accidiſſe videmus,ut in proverbium perfidia eorum erga principes ſuos pervenerit, idem ipſis contingat, ut ob paucorum ſcelus aliarum nationum ſermonibus fides eorum notetur. Reſpub. autem qvæ ſine maieſtatis iudicio unqvam fuit, ſeu potiùs ſine hoc ſubſiſtere potuit? Omnes liberi populi cùm in privatorum ſalute tuenda non negligentes eſſent, in publica cuſtodienda vigilantisſimi: in ſingulorum iniurijs vindicandis iuſti, in publica ſeveri fuerunt. Iam verò publicam ſalutem in ijs rebuſpub. qvibus principes præſunt, non regia contineri, aut ab hac ulla ratione ſeiungi poſſe, qvis unquam exiſtimavit? Itaqve non modò in omnibus alijs rebuſpub. ſed à maiori-

bus etiam noſtris ſemper ita iudicatum eſt, qvod ratio ipſa teſtatur, utilitatem, dignitatem, ſalutem reipub. à regia non modò nulla re ſeiungi, ſed ne anteponi qvidem ei poſſe. Vos enim hîc appello clariſsimi ſenatores. qvi cùm more maiorum in ſenatu ſacramentum dicitis, non né cum univerſæ reipub. ſimul regiæ amplitudinis, incolumitatis, atqve commodorum curam ſuſcipitis? *Regi eqvidem vos fideles futuros*, ſanctiſsimo iureiurando promittitis: *pro eius maieſtate & repub. regni eius fideliter vos conſulturos: ſecreta, qvæ per eius maieſtatem & conſiliarios eius dicentur, pertinentia ad maieſtatem regiam vel reipub. aut utrunqve nemini in iacturam regiam aut reipub. vos aperturos: pro viribus veſtris utilitates regiæ maieſtatis, regni & reip. aucturos: qvicqvid verò ſciveritis, intellexeritis, aut ſenſeritis maieſtati ſuæ regiæ, regno & reipub. noxium, ei vos oppoſituros; idq́; averſuros.* Ad qvæ cùm vos ſinguli iureiurando obſtringamini, ut qvemadmodum reliqvos ordines dignitate veſter antecedit, ita in ſalute etiam atqve dignitate regia tuenda, qva eadem univerſæ reipub. ſalus continetur, princeps ſit: propter individuam hanc reipub. cum Rege coniunctionem, in comitiis, qvibus Reges creantur, ad eadem fœdere univerſi ſe obſtringunt. Cuius rei afferrem exempla, ſi ullum illuſtrius iudicarem eo, qvo huius Regis electio

ctio ſancita eſt; id autem propter recentem eius memoriam non omnibus notisſimum eſſet. Qvòd ſi Regis ſalus à publica omnium ſalute nulla re ſeiun gi poteſt; qvid cogitari abſurdius poſsit, qvàm ut ſingulorum vita atqve dignitas legibus ſepta, principis nullo legum præſidio contra impiorum civium ſcelus munita ſit; pro qvo mori ſingulos, ſi res poſtularet, iura divina atqve humana cogebant? ſinguli enim & eá conditione nati ſumus, ut omnibus moriendum ſit: & cuiuſqve noſtrum mors unius domus luctu finitur: principum mors à reipub. qvæ immortalis eſſe debet, calamitate ſeiungi non poteſt. Verùm debeo habere rationem eorum, apud qvos dico: non deſiderat prudentia veſtra longiorem orationem: eſt tamen eius totam remp. animo complecti, qvantumqve in ipſis eſt in perpetuum immortalitati eius conſulere. Ea hactenus fortuna reipub. fuit, multò magis autem deinceps futura videtur, ut varijs principum mutationibus ſubiecta ſit: propterea, qvòd non naſcantur nobis Reges, ſed fiant. Iam verò nulla principis mutatio ſine reipub. mutatione aliqva, ac ne ſine calamitate qvidem inſigni accidere poteſt. Qvæ enim ad evertendum ſtatum reip. ſingula plurimum valent, ea ex crebra principum mutatione ferè univerſa naſcuntur. Nihil ſeditione exitioſius: nihil civilibus diſſenſionibus peſtilenti-

ſu : nihil externo bello periculoſius eſt. Omnes haſce calamitates, ſæpè unius principis mors,atqve interitus ſimul invehere ſolet. Qvæ cùm omnibus vel fato,vel prȩter fatum natura ſemper ferè impendat,ſi ad naturæ communis fragilitatem, incertosque eventus valetudinis ſcelere etiam ac inſidijs aditum ſibi ad eam nefarios homines impunè patefacere ſinamus : ſi non omni ratione prohibemus : obviam imus ; corpora ipſi noſtra pro vita ac ſalute eius audaciæ ac ſceleri obijciamus,ullum né temporis punctum ſalvos nos eſſe poſſe exiſtimamus? Romani im perij opes, qvæ æternæ atqve invictæ futuræ videbantur, qvid aliud, qvàm crebræ principum cædes fregit ? Non alia ferè Conſtantinopolitani deinde, ac Tapezuntini imperij fortuna fuit.Patrum memoria Mamalucorum in Ægypto potens in primis ac florens imperium fuiſſe traditur, hominum qvidem perditorum, ſed tamen bellicoſorum, & qvi virtute ſua finitimis omnibus ferè formidabiles erant. Eorum, qvantum humana ratione iudicari poteſt, hodie imperium ſtaret, niſi pari in Sulthanos ſuos perfidia vicinorum potentiȩ obnoxium id feciſſent.Mul tos populos ac nationes commemorare poſſem,qvæ nullo alio ferè fato perierunt. Sed non longius neceſſe eſt exempla eius rei nos petere, cùm ex ijſdem cauſis interitus nati vicinarum coniunctarumqve natio-

tionum in oculis pene noſtris verſentur. Qvæ enim vel Vngaris ulla alia ferè calamitatum cauſa extitit, quàm crebræ Regum mortes, deqve aliorum creatione ſubſecutæ diſſenſiones: vel Valachos in graviſsimam ſervitutem, cùm antea non libertate ſolùm, verum opibus etiam florerent, qvam fluxa in principes ſuos fides, de qva paulò antè etiam oſtendi, adduxit? Verum ego cogitatione atqve cura de repub. longiùs quàm neceſſe eſt progredior: Qvis enim eſt, qvi non principis ſalutem, qvæ à publica ſegregari nunqvam poteſt, qvàm tectiſsimam eſſe oportere ſua ſponte ſtatuat? Itaqve reus ipſe vertit iam ſtilum: videt tandem non rumoribus periculum iudicii ſe effugere, ſed innocentia propulſare debere: non recuſat iam iudicium: videt eſſe leges, ex qvibus partim uſitatiſsimum, & qvaſi ſolenne ſuperioribus etiam temporibus iudicium hoc maieſtatis in repub. fuiſſe appareat; partim qvibus ad qvas perſonas referri debeat, definiatur: liquere, quæ pæna eius ſit: traditas formas libellorum euocatoriorum, qvibus non facta modò, ſed dicta etiam, in iudicium hoc vocantur: cedat rebus apertiſsimis: concedat id etiam neceſſe eſt, nec rempub. nec libertatem ſine iudiciis tantorum præſertim criminum retineri poſſe. Qvare heſterna die, cùm ut contumaciæ in primam citationem condemnaretur, po-

 ſtula-

ſtulatum à me fuiſſet, equeſtris ordinis hominem Ioannem Solſcium miſit, qvi reſponſurum eum in iudicio, ac iure, qvomodo nos etiam de publicis iudiciis dicere ſolemus, experturum oſtendit. Erecti iam omnium animi expectatione iudicii erant: ſubitò alia nunc exorta eſt nova poſtulatio ipſius, qva non iam, ut iudicium ſubterfugere videatur, ſed ut re ipſa id effugiat, conſeqvatur: aut cùm iudicium recuſare non potuerit, pœnam tamen, ſi condemnatus ſit, evadat. Fidem publicam poſtulat, eamqve aliquot menſium; id eſt ne omninò iudicium ſubeat; cùm Comitiorum tempus, qvod reliqvum eſt, non multò plus uno menſe ſit. Hanc iure publico ſibi deberi dicit, ſineqve ea iudicio ſeſe committere poſſe negat. De hac igitur poſtulatione eius cùm nunc præcipuè dicendum mihi ſit, breviſsimè ad eam reſpondebo, qvòd res ita clara eſt, ut minimè multis verbis egeat. Legem primò eſſe dicunt Caſimiri Regis anno M. D. Lxviii. *De treguis pacis ſeu ſalvo conductu dandis de regno fugientibus, latam, qva fides publica aliqvod ob delictum profugis, ac deinde ad iudicium provocantibus tribuatur: alteram Ioannis Alberti de ſalvo conductu his, qui de regno fugiunt, dando.* Hîc nolo iam diſputare de uſu ac conſvetudine iudiciorum, qvæ hactenus perpetuò recepta in rep. hac fuit: cùmqve hæc optima veriſsimaqve legum

inter

interpres ſemper ſit, poſtulationem hanc, qvæ à recepta iudiciorum conſvetudine tantopere abhorreat, ne cum legibus quidem ullis convenire poſſe, contendere: de legum ipſarum ſenſu pauca dicam. Primùm enim Caſimiri legem, qvis eſt qvi non videat eo tempore latam eſſe, qvo non modò iudiciorum, ſed communis libertatis totiusq. adeò reipub. longè alius, qvàm paulò poſterioribus temporibus conſecutus ſit, ſtatus fuerit? Tum enim etiam nondum damnatos capere tamen licebat: paucis annis poſt Iagellonis lege omninò hoc ſublatum fuit: eo tempore in regiam omnes promiſcuè cauſæ evocabantur; noviſsimè Sigiſ. Aug. conſtitutione capitis iudicia omnia ad comitia alligata fuerunt. Qvòd ſi propter harum rerum metum ſolum, ne ſcilicet antè ſententiam qvis in vinculis habeatur, aut per paucos opprimatur, fides publica peti ferè ſolet: & tum cùm iſta & fierent & licerent, maiores etiam noſtri fide publica ſibi proſpexerunt, poſtqvàm ea iure publico ſublata ſunt, qvis eſt qvi fidei qvoqve publicæ, qvæ ob illa peti ſolet, neceſsitatem etiam ſublatam nó intelligat? Præterea verò ſi verba ipſa legis inſpiciamus, qvis erit qvi non remotiſsimum ſenſum eius à præſenti cauſa eſſe perſpiciat? Qvibus enim ea cavetur? *Si aliqvis*, inquit, *coram nobis, vel Capitaneo noſtro de aliqvo crimine vel maleficio fuerit accuſatus*, *& ad*

& ad oſtendendam ſuam innocentiam per nos vel noſtrum Capitaneum non fuerit admiſſus, & ob hoc ipſum fugere contingat. Hac né lege Chriſtophorus Sborovius compræhendi videri poteſt, qvi tantùm abeſt, ut ad innocentiam ſuam oſtendendam non admittatur, ut ad cauſam dicendam ultrò vocatus ſit? neqve in tempus igitur, neqve in cauſam hanc, neqve hominem legem hanc conuenire neminem non videre arbitror. Idem de altera Ioannis Alberti lege dico, nihil ad præſentem quæſtionem eam facere. qvæ magis contra adverſariorum metum, aut potentiam alicuius, qvod hodie etiam fit; qvàm iudicij aut iudicum, qvod iam tum lege Iagellonis lata fieri nihil attinebat, fidem publicam iudicio agere volentibus deferat. Etenim ſi etiam poſt legem Iagellonis nihilominùs fide publica ad iudicia venientibus contra iudicum metum opus erat; unum horum fuiſſe neceſſe eſt; ut vel idonee communi libertati proſpectum ea lege non ſit, ac etiam non damnatus qvis aut vinciri aut puniri posſit; vel ut poſtea ea lex obſervata non ſit, ac vel in deſvetudinem venerit, vel abrogata fuerit: qvorum nullum verè dici poteſt; qvodcunqve autem dicatur, non ſine ſummo periculo communis libertatis dici poterit. Verùm concedamus, qvod & à ſenſu legis, & communi iure libertatis remotiſsimum eſt, contra iu-

dicum

dicum metum, fidem publicam, ea lege permitti, illa certè & temporis diverſitas remanebit; qvòd eo tempore lata eſt, qvo in regia adhuc pleræqve cauſæ judicabantur: & hominum, qvòd profugis, qui cùm ad innocentiam ſuam oſtendendam qvemadmodum ſuperior lex inqvit, non admitterentur, profugere coacti fuerint, ea caveatur. Qvibus tamen ſi modò ea lege contra judicum metum cavetur; ita cavetur, ut non impunitas eis ſed ſecuritas contra maiorem vim tribuatur, neqve judicium eos eludere, ſed cauſam dicere velit. Qvomodo enim petentibus fidem publicam dari iubet? *Ut ſub libertate*, inqvit, *publica vel ſe expurgent, vel iuſticiam petant, eamq; ex ſe reddant accuſati*. Reliqvum Alexandri privilegium eſt. Eo id contineri dicunt, ut ſi qvis è ſenatoribus aliorum clandeſtinis coitionibus delatus ad Regem ſit, ſenatus de eo judicium ſit, durante interim ſecuritate accuſati. De hoc non dicam, qvòd neſcio qvidem qvàm rectè, veriſsimè, ſanè dicere poſſum, cùm à principe nondum Rege privilegium hoc profectum fuiſſet, nunqvam poſtea à Rege confirmatum, aut ſub publico regni ſigillo unqvam editum fuiſſe: ne de ipſis qvidem rebus, qvæ eo continentur, num cum poſterioribus legibus conveniant, diſputabo. qvamùis in ſuperioribus comitiis, qvibus Henricus Rex creatus fuit, à nobilitate

hoc ipſum privilegium non præteritum,qvæqve eius capita ad rempub.aut communem libertatem nobilitatis pertinere viſa ſunt, nominatim in conditiones regias relata plerique memoria tenent. Verùm obtineat id authoritatem ſuam:qvam certè ſi amplius jus, ac majorem libertatem communi nobilitatis juri adferre poteſt, non modò libente me ſed etiam adiuvante obtinebit. Verùmtamen qvid tandem eo novi juris ſtatuitur? ſecuritatem accuſato præſtari vult, dum iudicium exerceatur. Idem non né Iagellonis privilegio univerſæ nobilitati jam antè tributũ eſt? ſi enim nemo, niſi qvi jure victus ſit, vinciri, vita, bonisvé multari debet, nulla certè ante exitum judicii vis cuiqvam afferri poteſt. Qvæ tamen ut ita jam jure publico conſtituta non eſſent,ab hujus credo, Regis divina moderatione, ac lenitate ullũ injuſtum periculum metuendum ei eſſet.qui cùm graviſſimè à reo appetitus ſit; cùm vita ejus, nefariis illius inſidiis: dignitas omnibus injuriis ac contumeliis propoſita fuerit: talem tamen in tota hac actione ſumma cum omnium noſtrum admiratione ſe præſtat, ut animi ejus patientia reo ipſi magis præter expectationem ſpem, qvàm offenſa, metum atqve terrorem adferre poſſit.Cujus nec juſticiæ eſſet, qvem in judicium vocaſſet, per vim velle opprimere; nec ſapientiæ, qvem ſumma cum juſtitiæ opinione

nione condemnare poſſet, eum cum invidia velle tollere. Verùmtamen metuat offenſum Regem: detur hoc timori ipſius, ut plus apud eum propria maleficii conſcientia, qvàm Regis bonitas valeat. Qvæ, qvemadmodum antè etiam oſtendi, major ſecuritas, vel ab illo peti, vel à qvoqvam præſtari ei poteſt, qvã non modò ipſi, ſed nobilitati univerſæ jus publicum, ac Iagellonis lex tribuit? Eſt certè hîc aliqvid, qvod ego non modò ad eam perſonam, qvæ reip. cauſa mihi impoſita eſt, verùm ad communẽ etiam libertatem pertinere judico. Fundamentum ac qvaſi caput libertatis noſtræ ea una ferè lege continetur, qva ne qviſqvam è nobilitate niſi legitimè priùs per actus in vincula conjiciatur, aut fortunis, vitaúe multetur, ſtatuitur. Qvam qvidem legem, cùm à Regibus majores noſtri impetrarent, non præſidium impunitatis, ſed monumentum libertatis eam eſſe voluerunt. In ergaſtuli enim ac vinculorum, quibus ſervi coërcerentur, locũ infamiæ ac exiſtimationis metum, qvo liberos maximè commoveri debere exiſtimabant, ſi in jure qvis non ſtetiſſet, ſubſtituerunt. Ita infamiæ metu ad excipienda judicia reos qvaſi addictos duci: corpora ac fortunas, dum jus eorum per ſententiam imminutum non eſſet, ipſorum poteſtati permitti voluerunt. Hanc verò libertatem ſi ea, qvam dixi, lex tueri non poteſt, qvæ res erit, qvæ

tueri illam poſſit? majorem ſcilicet authoritatem tẽporariæ literæ, eæqve privatim ſingulis datæ, qvàm lex ad immortalis temporis memoriam lata, qvæq. omnium libertati publicè conſulit, habebunt? Verùm qvæ res tentetur videtis. Cùm à publico jure receditur, ne in dubitationem id vocatum: dum privatim in judicio ſinguli conſuli ſibi petunt, ne publica libertas parum firma, nec ſatis præſidii habuiſſe videatur, diligenter prouidendum vobis eſt. Nullum à majoribus noſtris libertatis hoc patrimonio præſtantiùs relictum nobis eſt. qvo magis communi conſilio retinenda, omnesq. ab ea infirmanda, cuniculi excludendi nobis ſunt. Cæteris rebus à multis aliis nationibus vincimur. Multæ opum magnitudine: non paucæ urbium cultu atqve elegantia, multarumqve rerum copia, nos antecedunt: à nõ nullis aliis rebus ſuperamur: libertate nulla antepo nere ſe nobis poteſt. Libertatis autẽ hujus, id qvod oſtendi, qvodqve nunc in dubitationem vocari videtis, fundamentum eſt. apud alias gentes nonnullas exorſus judicii vincula ſunt: hîc damnationis ferè exitus: illhic priùs in carcere, quàm tribunali reus ſiſtitur: apud nos non niſi cùm à tribunali ad pænam deducitur: illhic priùs in lictoris quàm iudicis poteſtatem incidit; hîc integri juris nobilem, priuſqvàm à judice condemnatus ſit, à lictore attingi nefas

nefas habetur. Hæc nobis arx libertatis noſtræ non modò ab infirmatione,ſed ſuſpicione etiam infirmationis omni defendenda eſt. Qvid autem intereſt, omninò né eam tollamus,an aliis præſidiis ſecuritatis noſtræ qværendis non ſatis in hac præſidii eſſe ſignificemus? Qvòd ſi qvę hactenus vis in eo fuerit, conſideremus, magis liqvebit. Qvod enim hodie adhuc in aliis nonnullis gentibus uſu venire videmus, ut ſi qvi in fraudem ſeu ſua culpa, ſeu fortuna incidant,eiuſqve rei poteſtas iis fiat,ut priùs fuga evadere posſint, qvàm vincula iis injiciantur, non facilè niſi fide publica impetrata judicio ſe committant; qvæ plerumqve hucuſqve dum in iudicio ſe ſiſtant, petentibus tribuitur: qvibus amplisſimè cavetur, ut è iudicio etiã tutò recipere ſe posſint, permittitur: ita nimirum, ſi priuſqvàm ſententia lata ſit, cùm ex adverſarii actione de exitu judicii dubitare cœperint,eo non expectato recedant.Verũ qvod hodie apud alias gentes in hoc genére obſervari videmus,idem aliqvando apud majores noſtros accidebat, ut nonnunqvam principum potentiæ cedere cogerentur, nec niſi ſecuritate publicè ſibi præſtita poteſtati eorum credere ſe auderent. Ab eo tempore, qvo publica libertas primùm à Iagellone ea, de qva dixi,lege: deinde etiam publicis judiciis omnibus ad Comitia revocatis amplisſimè munita fuit,

non modò cuiqvam, qvi in judicio condemnatus nō eſſet, vim ullam à magiſtratibus allatā, ſed ut afferretur ne timuiſſe qvidem qvenqvam ſcimus. Itaqve qvòd unum ſatis ſit, ad poſtulationem totam hanc eorum excludendam, unicum exemplum cuiuſqvā proferant, qvi ab eo tempore vel petierit fidem publicam vel acceperit. In iis, inqviunt, cauſis, qvæ inter privatos vertebātur: hoc autē judicium cum Rege ipſo eſt. qvæ exceptio ſi hanc vim habet, ut libertatem à Iagellone nobilitati tributam ad privatorū cauſas ſolas, non eas etiam, qvæ regibus cum illis intercedunt, revocet, qvid periculoſius interpretatione hac libertati communi eſſe poteſt, qvæ eam, qvàm amplisſimè, ac infinitè Iagello conſtituit, certarum perſonarum definitione in anguſtum redigit: ſi qvod magis ſpectare videtur, ut deteriori conditione Rex ſit, quàm privatus, qvid à ſalute reip. omniumqve noſtrum alienius? Qva de re nunc non neceſſe eſt me dicere; qvod Regis ſalutem ſine publico exitio negligi nullo modo poſſe jam ſuperiùs oſtendi: pro rei qvidem magnitudine paucis, pro veſtra pietate ac prudentia, nimis etiam multis. Verùm non dubito ſatis jamdudum ab omnibus intelligi, non innocentiæ ſecuritatis præſidium, qvòd jure publico omnibus paratum eſt: ſed damnato impunitatem peti. Qvod majori né impudentia petatur, an

peri-

periculo ſalutis publicæ, ſtultiùs deniqve concederetur, ſatis affirmare non poſſum. Duo enim cùm judicii tempora ſint, unum qvod ſententiam ipſam antecedit, alterum qvod ſubſeqvitur. primum judicii denunciationem, citationem rei, accuſationem, defenſionem, teſtium monumentorumqve exhibitionem, ſententias Senatorum, decretũ deniqve ipſum habet: alterum pręter executionem nihil. Illo dum de crimine nondum liqvet, dum purgari reum poſſe ſpes eſt, dum ambigitur, dubitatur, non indefenſum qvem eſſe, cauſamqve non modò dicere, verùm quàm liberrimè poſſe dicere communis omnium libertatis intereſt: poſt ſententiam latam ſalutis omnium damnatum executionem non eludere. in qvo vel ſumma iniqvitas, vel ſumma calamitas publica ſumma cum ſtultitia conjuncta eſt. Iudicio condemnatum pænam recuſare iniqviſſimum eſt: rerum judicatarum executio non niſi in ſumma omnium licentia, omnium ſcelerum qvaſi habenis effuſis, ſumma magiſtratuum imbecillitate, everſa deniqve ac funditus perdita rep. inhiberi ſolet. qvod qvi poſtulat, idem eadem opera non judicia modò, verùm leges etiam, ac jura omnia, qvæ ſine judiciis ſubſiſtere non poſſunt, tollit. Qvid verò ſtultius fuerit, qvã ſententiam ferre, ſi executioni ea mandanda non ſit? Iam autem qvis non videt, id qvod antè dixi, non ſecuri-

ſecuritatem ſed impunitatem à reo qvęri? Vt enim prætercam ex ipſo tempore, ad qvod ſecuritas poſtu latur, ad eximendum comitiorum, cum iiſdemqve judicii ſimul tempus id interponi qvemlibet facilè judicare poſſe, id qvęro: ſi judicii cauſa fides publica petitur, cur ad certum tempus petitur, cùm lex infinitè totum judicii tempus complectatur: amplius autem ſine dubitatione ei cautum ſit, qvi infiniti tẽporis ſecuritatem habeat, qvàm qvi certo tempore circumſcriptus ſit? Deinde verò cur ſigillatim petitur cùm lex omnibus eam tribuat? Verùm ne diutius vos teneam, finem dicendi faciam. Neminem enim non ſua ſponte perſpicere mihi perſvadeo, ſi invidiæ in judicio hoc locus ſit, non ad eos pertinere illam poſſe, qui in judicium vocârunt, ſed qvi ut vocarentur, admiſerunt: cùm non modò omnium liberarum gentium moribus, atqve inſtitutis ſeverisſimè hujuſmodi vindicentur, ſed noſtris etiam legib. idem judicium diligentisſimè conſtitutum ſit; flagitet deniqve id ſalus reip. eo autem modo exerceatur, qvo in privatorum etiam ſalute, atqve iniurjis exerceri ſolet. fidei publicę autem poſtulationẽ hanc, partim non neceſſariam eſſe, qvòd jam antè publico iure cautum ei ſit: partim communi libertati dupliciter periculoſam, quòd vel idipſum jus ac libertatem, qvæ certiſsima eſſe debet, ac à nullo unqvàm

qvam violata fuit in dubitationem vocet, vel contra Reges non valere eam debere ſignificet, qvæ contra omnes jus nobilitatis tueri debet: à ſalute reip. remotiſsimam, ſi deteriori conditione Regem, qvã privatum de ſalute ſua contendere velit: injuſtam ac reip. legibuſqve exitioſam, ſi etiam poſt ſententiam latam impunitatem ſperet.

ANDREAE RECICII INSTIGATORIS REGII V. NOB.

accuſationis in Chriſtophorum Sborovium actio ſecunda

De præſcriptionibus ante judicium oppoſitis.

QVod ſuperioribus diebus, Sereniſsime Rex, ac ampliſsimi Senatores, cũ fides publica Chriſtophori Sborovii nomine ab amicis ejus peteretur, dixi, non ſecuritatem ſed impunitatem peti, id eventu rei atqve exitu comprobatum omnes jam vident. Fuit tum ſæpiùs Sereniſsime Rex audita vox tua teſtis modera-

tionis ejus,qvam non modò tota hac actione,verùm omni vita tua præ te tuliſti: cùm ſæpiùs teſtareris, ut nihil cupidiùs hactenus feciſſes,ſic deinceps qvoqve non facturum. Hanc ipſam fidem publicam,qvā poſtularet, minimè te illi negaturum eſſe oſtendebas, niſi vel inæqvalitas inter nobilitatem, qvæ in hac rep. omnis æqvo jure eſſet, vel juris omnis perturbatio ea induceretur. Nam & illi ſoli ſi tribueretur,in eodem nobilitatis ordine diverſos juris ac nobilitatis gradus futuros;aut ſi nulli negaretur,& præſtantiſsimam Iagellonis legem, qvæ ſummam ſecuritatem univerſæ nobilitati tribuit, in dubitationem adductum iri: & judiciorum rationem novam planè exorturam ſtatuebas: nec tamen recuſabas, qvin ſi Senatus dandam eam illi cenſeret,libenter ſententiā ejus ſeqvereris. Nemo erat qvi non qvàm tutiſsimè ad judicium accedere eum poſſe exiſtimaret,cùm jure publico fretum,tum moderatione Regis.ſolus nō qvid leges ſibi præſtarēt,aut à talis Regis manſvetudine expectandum ſibi eſſet,ſed qvid ipſe meritus eſſet, metùndum putavit. Itaqve fidem publicam poſtulare non deſtitit. Data ei fuit, atqve ita data,ut & ipſius ſecuritati ſatis proſpiceretur,& à communi jure non recederetur. Cùm enim qvi crimen confeſsi aut jure victi ſint, nullam amplius juris aut libertatis partem obtineant, ad id tempus tributa ei fuit, ad

qvod

qvod jus ejus per ſententiam imminutum non fuiſſet. non modò autem ut tuto in jure compareret: cauſam ſuam liberrimè diceret cautũ ei fuit: Verùm ut ante ſententiæ pronuntiationem tuto etiam à judicio ſe reciperet, nec à quoquam interim manus illi injicerentur. ſi innocentia & cauſa confidebat, ad ſecuritatem nihil amplius tribui ei potuit: ſi ſuo judicio ipſe jam ſe condemnârat, fateor impunitatem, quæ nec jure publico comdemnato debebatur, ex tali fide multominùs ſperare eum potuiſſe. In qvam partem ipſe de ſe præjudicarit, videtis. Cùm & communi nobilitatis libertate tutiſsimè ad judicium venire potuiſſet, præterea verò talem, qvalem diximus fidem, manu ac ſigno regio accepiſſet, non adeſt: fratrem Ioannem Sborovium Caſtellanum Gneſnenſem, & Iacobum Niemoievium, qvos honoris cauſa nomino, qui abſentem ſe defenderent, miſit. ita autem miſit, ut non modò judicium idem, quod de ſe fecerit, retinere: verùm ſpem etiam, quam ſemel cõceperit, poſſe ſe eò rem adducere, ne cauſam dicat, non dimittere ſe oſtendat. Cum iis enim præſcriptionibus venerunt, quæ cùm ad judicium excludendum omnes pertineant, non tam criminis poſtulationem, cujus vel leviſsima ſuſpicio intolerabilis viris bonis eſſe ſolet, gravem reo eſſe, quàm cognitionẽ ac judicium ejus pertimeſcere cum oſtendant. Ad

qvas priuſqvàm reſpondeã, nõ nihil de procutatoria hac defenſione eorũ abſentis dicendũ mihi intelligo. Nullam Chriſtiani orbis gentem eſſe arbitror, qvæ non hoc jure utatur, ut in publicis iudicijs, cauſiſqve capitalibus, præſentem reum requirat: per procuratorẽ abſens nemo judicium ſuſcipere poſſit. cujus rei cùm hæc opinor ratio eſt, ut veritas qvæ ſæpè non modò oratione ſed vultu ipſo rei indicatur, eò faciliùs inveſtigetur; tùm multò magis ea, ne judicium irritum fiat, ſi abſens damnatus fortè ſit, nec puniendi ejus facultas judici detur. hiſce ego rationibus nunc non utar: ſed alia propria eſt hujus judicii. qvòd non modò ad literas ipſius, quæ à me proferuntur agnoſcendas, præſentia ejus neceſſaria futura ſit; verùm ut ad ea etiam, de qvibus à me interrogabitur, reſpondeat. ab hoc igitur Chriſtiani nominis omnium gentium in aliis judiciis more, hac autem hujus ratione num ſine magna ratione diſcedendum vobis ſit, veſtræ prudentiæ eſt conſiderare. Multis ſeculis vix majus ullum judicium in rep. hac verſatum eſt; qvod neqve à reip. ſalute ſejungi, nec propter grauitatem ejus vel nunc non ad exteros promanare, vel ad poſteritatis memoriam latere poteſt. In hac ne qvid remiſsè ſtatuatur, nevé eã cùm ſeueritatem, tum diligentiam in judicando deſiderare qviſqvam poſsit, quæ tali judicio vobis deniqve ac rep.

ac rep. digna ſit, etiam atqve etiam videndum eſt. Nonmodò no n vetatur, inqviunt, jure noſtro in capitalibus etiam cauſis procurator intervenire, ſed perſona ejus in univerſum legitima eſt, jureqve conſtituta. Eſt ea verò non modo legitima, verùmetiam neceſſaria. Non enim omnia per nos agere poſſumus: à qvibuſdam negotiis aliorum negotiorum occupationes noſtræ: à qvibuſdam gerendi ejus inſcitia nos abſtrahit. Idcirco jure conſtitutum eſt, ut qvibus in cauſis ipſi intereſſe non poſſemus, in his operæ noſtræ vicaria amicorum fides ſuppònatur. Non tamē qvámvis à jure procurator proficiſcatur, omnia promiſcue negotia abſentis in jure adminiſtrare poteſt. His ipſis moribus, qvibus utimur, nemo ob rem ſuam, ut proſcribatur aliqvis, per procuratorem poſtulare poteſt: præſens oportet in judicio ipſe ſit, qvi proſcriptione eum, à qvo petit, condemnare velit. Vbi enim de capite ac exiſtimatione civis ageretur, non modò de voluntate adverſarii conſtare majores noſtri voluerunt: verùm ejus ipſius vocem in judicio audiri. Hoc igitur, dicat aliqvis ſine dubitatione obtinuit, ne abſentis nomine qviſqvam interveniat: idem in aliis cauſis eſſet, ſi ab iis procurator excludendus eſſet. Nulla lex unqvam ita ſcripta fuit, aut ſcribi etiam potuit, ut omnia, qvæ aliqvando inciderent, compræhenderet: ſed cùm in

aliqva cauſa ſententia earum manifeſta eſt, non difficile eſt ei, qvi cognitioni præeſt, eandem ſententiam ad ſimiles cauſas transferre. Hanc ob cauſam magiſtratus ac judices in rebuſp. conſtituti ab initio fuerunt, ut qvæ legibus compræhenſa non fuiſſent, ab illorum ęqvitate explerentur. Diuerſarum autem rerum cùm una eademqve aut par ratio exiſtit, qvid cauſæ eſſe poteſt, ut non idem jus etiam atqve ęqvitas conſtituatur? A proſcriptionibus poſtulandis, ob judicii, ut exiſtimo, magnitudinem, qvod famam atqve fortunas civis continet, procurator ſummovetur. Hîc utrum tandem vel judicium hoc leve eſt, in qvo de ſalute Regis, ac reip. agitur: an ratio, quæ præſentem reum reqvirit? Oſtendi antea, magnam partem criminum, qvæ à me ei objiciuntur, ex illius ipſius literis pendere. Eas ego ipſius manu atqve ſigno in judicio proferam: in his non modò agnoſcẽdis, verùm etiam interpretandis qvid illo abſente amici ipſius facient? qvæ ſi æqva ſi iuſta ratio vobis videtur, non qvid à lege non vetitum ſit, ſpectare debetis; ſed qvid eadem lex, ſi hoc tempus providiſſet, æqvum judicatura fuiſſet. Accedo nunc ad exceptiones eas, qvibus judicium hoc ſubterfugere ſe poſſe reus confidit. Earum tres afferri intelligo. Vnam contra judicem, qvem Regem eſſe non poſſe contendunt: alteram contra citationem, ut nos ap-

pellare

pellare vulgo ſolemus, qvæ non legitime ſcripta ſit: ideoqve agi ex ea contra ſe non posſit: tertiam ad ſummovendum accuſatorem, cùm ab inſtigatore ſine delatore neminem accuſari poſſe pugnent. Regẽ non oportere in hac cauſa judicem eſſe dicunt. Novum planè ac inauditũ in hac præſertim rep. in qva de fama atqve exiſtimatione nobilis, nullum niſi Regem ſententiã ferre majores noſtri voluerunt. Qvod cùm multis & legibus ac inſtitutis noſtris oſtenſum eſt, tùm verò maximè nuper in tribunalibus conſtituendis eſt declaratum. Qvod enim apud ſui ordinis homines cauſam famæ atqve exiſtimationis qvenqvam dicere graue omnes exiſtimarent, idcirco cũ privatæ cauſæ omnes ad tribunalia revocarentur, ut publica tamen judicia non niſi à Rege exercerentur ex dignitate nobilitatis eſſe, ab omnibus judicatum fuit. Aliter, inqviunt, Iagello ſtatuit, eo privilegio qvod Ieldnæ univerſæ nobilitati tribuit, in qvo ita ſcriptum eſt: *Nulli bona, ſeu poſſeſſiones recipiemus, niſi fuerit iudicialiter per iudices competentes vel barones noſtros nobis condemnatus.* Ita autem reputant, ſi in re pecuniaria Rex ipſe ſibi jus dicere nõ poteſt, multominùs in cauſa, quæ famam, exiſtimationem, vitam deniqve hominis continet, judicem eum eſſe conuenire. Hic qvis eſt qvi non videat aliam rationem juris, ac diverſam qvaſi formam judiciorum Iagello-

gellonis temporibus, maximè primis fuiſſe: aliam poſtea conſecutam. Dixi antea de eiuſdem Iagellonis conſtitutione in hæreticos lata. qvâ non modò ut manifeſti criminis, ſed qvocunqve modo ſuſpecti, per qvoſcunqve ſive magiſtratus, ſive privatos capiantur ſtatimqve puniantur ſancitur. Id iis temporibus non in hæreticos nove conſtitutum, ſed ab aliis criminibus in hæreticos tranſlatum cùm ex aliis rebus ſatis intelligitur, tùm eo ipſo loco, qvo perduellionis crimen cum hæreſis crimine comparat. ſecuta aliquot annis poſt ejuſdem Iagellonis lex fuit, qva nõ tam Regum poteſtati aliqvid detraheretur; cùm id demum maximè firmum imperium cenſendum ſit, qvod humanitate atqve obſeqvio continetur, quàm libertas nobilitatis in perpetuum conſtitueretur.qva ne ullius criminis obtentu,quisquam ex nobilitate capiatur aut puniatur, priusqvàm judicio legitime convictus damnatusqve ſit, ſancitur. Nouiſsimè autem capitalium etiam rerum judicia omnia conſtitutione Sig.Aug. è regia ad Comitia revocata fuerunt. Libertatis hæc nobilitatis, jurisque diuerſitas,ut judiciorum etiam non eadem omnibus temporibus ratio eſſet, effecit. Qvo tempore enim Reges ipſi privatim cauſas cognoſcebant, in cauſis quæ privatis cum principe intercedebant, præter Regem alius judicum ordo neceſſariò adhibendus

fortaſsis fuit: poſtqvàm ad Comitia cognitiones omnes reuocatæ ſunt, cum Senatu communicatæ, è ſolitudine deniqve in omnium ordinum præſentiam, in totiuſqve reip. oculos productæ, quis eſt, qui non modò non neceſſariam cautionem hanc, verũm cũ poſterioribus etiam juribus omnibus pugnare eã nõ intelligat? Verũ de his poſtea dicam, cùm priùs ad reliqua eorum reſpondero. Priuilegium enim etiam proferunt Alexandri Regis, antequàm qvidem in Regem inauguratus eſſet, ab eo datum, id, de quo ſuperiori actione oſtendi, qvo ad Senatum hujuſmodi criminum, qvæ inter ſubiectos & principem verſentur, judicium revocatum putant. de cujus authoritate qvemadmodum tum diſputandum mihi non putaui, ita ne nunc qvidem exiſtimo: id dico nihil eo contineri, qvò Regis judicium recuſare poſsint. Primò enim ad ea crimina, quæ clandeſtinis apud Regem delationibus alicui conflata ſint: ac ob qvæ tacitum contra aliqvẽ odium Rex ſuſceperit, id pertinere, ipſi fateãtur, neceſſe eſt. Ab iis autem qvantum hæc abſint, qvæ publicè in judiciũ vocantur, nec ad Regis perſonam ſolam, verùm ad remp. ipſam pertinent, nemo eſt, qvin intelligat. cùm verò Senatus judicium de eo eſſe debere conſtituit, qvis eſt qvin nõ tam Regem à cognitione excludi, qvàm Senatum ei adjungi videat? de qvo ne dubitari poſsit, partim

E ratio

ratio, omniumqve temporum conſvetudo, partim illarum ipſarum literarum verba teſtantur. *Idem intelligendum eſſe volumus*, inqvit, *de cauſis civilib. inter dominum & ſubditum, nec minùs inter pares*. Hoc igitur, *Idem*, qvale eſt? docet mox ipſe: *Ut nos*, inqvit, *aut ſucceſſores noſtri non alia decernamus niſi de qvibus univerſi conſilio convenerint, vel aliàs illis diſcrepantibus non modò maiores numero, imò potiores & ſaniores conſilii concludant*: Maximè verò ipſum privilegii principium, non tam ad excludendum arbitrium regiũ, qvàm Senatus conſilio adhibito moderandum latum id eſſe docet. *Sæpè* enim, inqvit, *compertum eſt, pro ſuo arbitrio ac voluntate Reges agere velle*. Id igitur ne accidat, ut ſententiam duarum partium in judiciis ejuſmodi ſeqvantur, ſtatuit. Itaqve nihil aliud eo privilegio ab Alexandro conſtituitur, quàm poſtea tempore interregni, qvo Henricus Rex creatus fuit, conſtitutione ea, qvæ de jure ultimæ ſententiæ lata eſt, conſtitutum fuit. Illo, ut qvod duæ potiores Senatus partes cenſuiſſent, ratum eſſet, cavetur: hac ut in dicendis ſententiis ad unam ſententiam Senatores omnes adducere omni ratione Rex conetur, idqve in quo omnes convenerint, ſeqvatur; aut ſi inter ſe convenire non poſsent, qvod communi juri ac libertati proximum ſit amplectatur, ſtatuitur. qvod cùm facit, utrunqve Rex aſſeqvitur, ut &

Sena-

Senatus judicium ſit,nec ipſe à cognitione excludatur. Decernit enim Senatus : ſententiam fert Rex. qva in re ſive dignitatis ſenatus habenda ratio fuit, nihil amplius tribui ei potuit,qvàm ne ſine ipſius authoritate qvicqvam Rex decerneret: ſive reorum ſaluti proſpiciendum,rectiſsimè ei proſpectùm eſt,qvæ nō in unius verùm omnium poteſtate futura ſit.Non modò igitur nihil Alexandri id privilegium ad rem hanc facit, ſed eandem planè judicii rationem, quæ & hactenus obſervata fuit,& cùm aliis legibus compluribus,tùm maximè conſtitutione illa de jure ultimæ ſententiæ ſtabilita fuit, ipſa etiam confirmat. Eandem vim alia qvoq. ratio eorum,ex lege qva qvarundam rerum appellationes ad Comitia permittūtur, ducta habet. Si in qvibuſdam pecuniarum controverſiis à Rege ad Comitia provocare licet,quanto magis, inqviunt, ubi de vita atqve fama hominis agitur, id liceat ? Qvid igitur habes hîc de qvo qveraris ? ad Comitia, ad qvæ tu provocas, ad ea ultrò te vocavi : niſi fortè in iis cauſis,in qvibus è regia ad comitia appellare licet, ad ſenatum ſolum, ac non conjunctim cùm ad Regem tùm ſenatum interponi appellatio ſoleat. Qvòd ſi, cùm de ſummis in bonis regiis inſcriptis ad comitia provocatur, tam ad Regem,qvàm ſenatum cauſa ea revertitur;quid iſta appellatio ad declinationem judicii Regis valet, niſi ut

 qva

qva de re tum ſolus Rex cognoviſſet, de ea in Comitis cum ſenatu cognoſcat? Idem ultrò nonné illis tribuitur? ſi ad ſenatus judicium provocant, judicabit ſenatus; non enim ita Regis judicium amplector, ut ſenatus rejiciam: ſi Regis judicium metuunt, nihil poterit Rex ſine ſenatu. Nam qvod nuncios etiam terreſtres adhiberi ad judicium hoc poſtulant, id qvo, non dicam more, atqve exemplo, ſed qva ratione faciant, prorſus non intelligo. Intereſſe actionibus cauſarum, non modò nuncios, verùm qvàm plurimos cives non inutile iudico: qvò non modò judicum, ſed multò magis litigantium ipſorum cupiditas qvàm plurimorum conſcientia conſtricta alligataqve teneatur. Qvis enim cùm in tanta hominum freqventia omniumqve ordinum qvaſi oculis vel accuſat alterum, vel judicat, non ſimul de ſe, vita, moribuſqve ſuis judicium fieri cogitet? ut autem ea poteſtas, qvæ hactenus ad deliberationes publicas, ac libertatem communem tuendam adhibita fuit, in capitalium rerum judiciis authoritatem aliquam ſibi ſumat, qvis unqvam audivit? Novorum enim emergentium ſpecie ſi inducere nuncios velint; qvomodo non præter ea, qvæ vulgò nova emergentia habentur, ipſi nova emergentia ſibi fingant, docere nos debere videntur. Cùm enim hæc illo nomine cenſeantur, qvæ cùm aliâs jure de-

re definita non ſint, à tribunali ad regium judiciũ in comitia remittũtur,nihil minùs certè in hãc cauſam convenire poteſt,qvæ & in tribunali acta nunqvam fuit, nec tanqvam capitis cauſa agi etiam potuit; legibus deniqve noſtris minimè præterita ſit. Reliqva una adhuc ratio eorum eſt, qvæ ſi valere debet, nullum in ulla rep.majeſtatis judicium exerceri poterit. in omni judicio tres perſonas intervenire oportere ajunt, actoris, rei, & judicis; duas ab uno ſuſtineri, maximè autem eundem judicem, actoremqve eſſe, nec æqvum eſſe, nec ullius gentis more ac conſvetudine receptum. Impunè igitur omnes reſp. violari poterunt: nulli liberi populi injuriæ publicæ perſeqvutionem habebunt. ſive enim ſinguli ſive univerſi judicent,cùm & ſinguli eadem rep.contineantur,de ſua injuria judicabunt: eaſdemqve & actoris & judicis partes ſuſcipient. iniuſtè itaqve Brutus Coſ. idẽqve pater liberos cæteroſqve adoleſcentes nobiles de Tarqvinio recipiendo agitantes ultimo ſupplicio affecit. Publicam enim iniuriã ultus fuit. ſed qvę eadem ad ipſum pertineret: injuſtè populus deinde Rom. Manlium Regnum occupare conantem: Athenienſis Themiſtoclem: Lacedæmonius Senatus Pauſaniam: multi alii multos. Sed qvid ego hæc colligo? hanc ipſam cauſam vel Senatus cujus judicium non planè ſpernere audere:vel collegi-

 um nun-

um nunciorum, cuius maximè expetere cognitioné videtur, qvomodo cognoſcere poſſet, ſi judex de injuria, qvæ ad ſe pertineat, nemo eſſe posſit? Qvæ enim ego crimina in judicium voco? Proditio illa cũ Moſco agitata magis né ad Regem, qvàm rempub. univerſam, ad ſingulos deniqve qui ea continentur, pertinet? Iam verò illæ ipſæ inſidiæ vitæ Regis poſitæ, conſilia contra dignitatem ac ſalutem Regis ſuſcepta, utrum tandem magis Regem ac univerſos ac ſingulos commouere debẽt? Regi enim, ſi qvod Deus omen avertat, executus ea fuiſſet, qvid magnopere mali afferre potuiſſet; eo loco, rebus geſtis, ea gloria, ut nulla mors immatura evenire ei posſit? remp. autem tam nefario ſcelere non né planè evertiſſet? Itaqve non magis Rex, qvàm hi, qvos non fugere ſe præſefert, Senatores; qvàm omnes boni cives rejiciendi illi eſſent. ſibi enim ſatis Rex vixit, hiſce ut qvàm diutisſime vivat, nunqvam ſatis diu victurus eſt: illi mors mali qvid potuiſſet afferre, qvę tali principi ad æternitatem dux futura eſt? reip. non né ſummam cladem atqve calamitatem invexiſſet? Itaqve, ſi is, de cujus injuria agitur, judex eſſe non poteſt, publicæ injuriæ nullus judex erit? quo ſi nihil abſurdiùs omnes eſſe intelligunt, quomodo Regem recuſet, qvi præter ſententiæ pronunciationem non multum habiturus ſit; cùm Senatum, in cuius po
testa-

teſtate totum judicium futurum ſit,recuſare non poſ ſit? Verùm qvis eſt, qvi ea qvæ de judice ac actore dici vulgo ſolent, non privatum jus eſſe videat? Iam verò à tot annis bonorum regiorum cauſæ,in qvibus & privilegio Iagellonis illo, qvod laudant, judices à regibus dari ſolebant,& qvas Alexandri privilegium cum capitis cauſis exæqvat, non una, ſed plurimæ actæ fuerũt: doceãt,præſertim poſtqvàm comitia ha beri cœpta fuerũt,ullã ſine Rege Senatum judicaſſe, aut id ut fieret,poſtulatũ à qvoqvam eſſe.Qvorum ſi neutrum oſtendere poſſunt, neminem certè tam iniqvum fore mihi perſuadeo,qvi non mihi daturus ſit, ut diſceptatio aliqva eſſe posſit, plurimùm cùm poſteriores tùm clariores etiam leges, maximè autem morem ac conſvetudinem perpetuam judiciorũ valere oportere: qvorum illæ authoritatem veteribus, hæ lucem ambiguis afferunt. Periculoſum eſt, vetus aliqvod jus vel diſputatione convellere, vel dubitatione labefactare, vel inficiatione tollere. Non tollam ego ullam legem veterem: at tu ne novas etiam tollas,longo præſertim uſu roboratas; cùm ſi utrum magis liceat, ambigendum ſit, veteres certè leges per poſteriores ſæpè abrogentur,novarum authoritati nulla vetus lex obſtare ſoleat. Qvemadmodum enim homines ita jura etiam, quæ ab hominibus cõſtituuntur, mortalia exiſtere neceſſe eſt: neqve ullũ ita con

ita conſtitui poteſt,ut non multa tempora eveniant; qvibus aliqvid ex eo mutari neceſſe ſit: pleraqve ſua ſponte tanqvam ſenio confecta in deſvetudinem veniant. Ad qvæ ſi redire velimus, quàm multa nobis ex qvotidiana penè conſvetudine, hocqve ipſo receptisſimo judiciorum uſu mutanda eſſent? qvæ nunc penes judices terreſtres judicia ſunt,ea antiquitus apud Caſtellanos ferè erant. à terreſtribus autem judiciis noſtra etiam memoria ad cujuſqve territorii conventus, ſeu colloqvia appellari ſolêre meminimus.Multa hujuſmodi commemorari poſſunt. qvod enim officium, qvæ dignitas terreſtris eſt, qvæ non ſuum olim munus, à qvo nomen accepit, ac propriam functionem obtinuerit; qvod qvæ ullam nunc habeat? qvæ ſi revocare qvis velit, qvis eſt qvi non ab omnibus repudiatum ea iri intelligat? Qvorſum igitur oratio hæc pertinet? ut cùm de hac qvæſtione qvæ nunc in controverſia eſt,leges clariſsimè ſcriptas eaſqve recentisſimas, qvibus qvæ cauſæ ad cognitionem regiam pertineant, difinitum ſit, conſvetudinem deinde ipſam optimam juris omnis interpretem habeamus, ab hiſce non recedamus: non quòd antiquiores etiam leges cum hiſce pugnent, ſed quòd tametſi ab iis illæ disſiderent, poſteriores tamen uſuqve approbatæ retinendæ nobis eſſent: qvæ ſi non tollerent ſuperiores, corrigere tamen aliqvan-

liqvando: interpretari ſemper ferè ſolent. Iam autē qvid hiſce poteſt eſſe clariùs? qvid evidentiùs? Extat conſtitutio Sigiſm. Aug. An. M. D. Lvii. lata. Ejus uno capite cauſas,qvæ ad perſonam Regis pertinent, ſuæ ſolius cognitioni Rex reſervat. Idem alia conſtitutione fecit, qvæ de judiciis ultimæ inſtantię ad tempus lata ab eo fuit. Cauſæ autem ad perſonā regiam pertinentes, qvæ aliæ qvàm majeſtatis ſunt cujus crimen in perſonam regiam ſolam committi, peculiari etiam lege ſancitum eſt? Qvam verò clariorē legem audire qvis deſideret qvàm eam, qvam idem Sigiſm. Aug. de reviſoribus conſtituit? in qva dum reviſorum ſecuritati proſpicit, qvi illos violârint,eodem judicio teneri debere, qva qvi Regem ipſum violârint, ſancit: ut nimirum à Rege ipſo cum Senatu regni in comitiis judicentur. hac qvid magis apertum, ac manifeſtum eſſe poteſt? Iam verò vel conſtitutio Henricana,de qva antè à me dictum eſt,obſcure né Alexandri privilegium interpretari videtur? vel altera in inauguratione Regis Cracoviæ promulgata perduelles ipſius Regis cognitiōi ſubjicere?qvę tamen ut id nominatim non faceret, cùm altera extet conſtitutio,qva tribunal ab hoc ipſo Rege ſancitur, eaqve crimina omnia Regis ac Senatus cognitioni in comitiis ſubjiciantur, uti nullum aliud prætergvàm ſi qvod lex ipſa excepiſſet, ita ne hoc quidem,

dem, qvod vel graviſsimum crimen eſt, eximi ullo modo ex numero hoc pôteſt. Seqvitur verſura,ut ita appellem, eorum. qva citatione rejecta ejus temporis moram, dum alia citatio edi contra reum posſit, redimere velle videntur. verba hæc in citatione poſita: *pœnasqúe proditoribus patriæ debitas extendi ſuper te audias*, contumelioſa reo ajunt eſſe: hanc autem moderationem majores noſtros cùm omnibus in rebus, tùm maximè in judiciis adhibuiſſe; ut aduerſarium ſine contumelia in jus vocari voluerint: protuleruntqve in eam rem decretum Sigiſm. Aug. qvo cùm contumelioſa citatio in judicio prolata fuiſſet, ea reiecta, pænaqve in actorem conſtituta fuerit. Eſt decretum hoc latum de privato judicio, in qvo à contumelia abſtineri non ſolùm poteſt,verùm etiam debet. Qvid enim indigniùs,qvàm ob pecuniariæ rei controverſiam, famam atqve exiſtimationē alterius appetere? Crimen autem,ac tantum præſertim, qvomodo verbis crimen non deſignantibus in judicium vocari poſsit, haud facilè fortaſsis reperire eſt. Laſthenem ferunt Olynthium eum, cujus opera Olynthi Philippus potitus fuerat, cùm proditor à qvibuſdam Macedonibus appellatus fuiſſet, graviter injuriam ſuam apud Philippum queſtum: reſpondiſſe tum Philippum, ignoſcere illum Macedonibus ſuis oportere, qui ita adhuc agreſtes eſſent, ut ſcaphā

alio,

alio, qvàm ſuo nomine appellare neſcirent. Qvod hos ruſticitate feciſſe Philippus luſit, id in publicis judiciis neceſsitate faciendum eſt. Qvis enim unqvã in crimen aliqvem vocavit, qvem virum bonum exiſtimaret: aut id ſi fecit, ipſe vir bonus fuit? qvis autem proditionem in aliqvo peragere potuit, ut proditorem non appellaret? verùm ut paucis rem abſolvam: extat lex, qvæ eum, qvi alteri crimen aliqvod in citatione objiciat, aut contumelioſis verbis appellet, ita confirmatum ad judicium venire jubet, ut qvæ in citatione poſuerit, ſtatim doceat: ſuccumbenti certam pænam conſtituit. Huic ego ſatisfactu rum me offero: hocqve ipſo temporis momento, crimina objecta probaturum. Venio nunc ad ultimam exceptionem eorum qva illi plurimum niti, & magnopere confidere videntur, delatoris abſentiam, qvem reqvirunt, ac ſine qvo in judicium à me reum vocari poſſe negant. Præſcriptio hæc ſi vim aliquam habere debet, cur non ſuo ordine propoſita eſt? Iam enim poſtqvàm de citatione actum eſt, qvis eſt, qvi non excluſam videat? cùm poſtqvàm ad citationem reſpondere cœptum eſt, nulli amplius præſcriptioni declinatoriæ, moribus noſtris locus ſit? captioſè dicat aliqvis, agis, qvi non rei æqvitate ac juris diſceptatione, ſed levi adverſarii errato, uniusqve puncti temporis intermiſsione arrepta, repellere te eũ poſ-

 ſe exi-

ſe exiſtimes. Ego verò jure, ac more: præpoſterè qvicunqve ab his recedit: ſine qvibus nihil in publica, privata, domeſtica, forenſi re cujusqvam certum, ac conſtans futurum ſit. Propterea enim jura conſtituta ſunt, ut qvo qvisqve non modò iure, libertatem, res, fortunas ſuas poſsideat, verùm qvo ordine tueri etiam ea debeat, ſciat. ideò certa judicii forma, ratioqve tradita. qvæ ſi qvis evertat, omnium rerum perturbatio, ac incertitudo conſeqvatur neceſſe eſt. ſi qvis ob homicidium aut aliud crimen, intra annũ & ſex ſeptimanarum tempus, intra qvod commiſſum dicatur, aliqvem in judicium non vocet, nonné omnem capitali judicio contra eum agendi moribus noſtris facultatem amittit? Qvamobrem id? ne vita, famæ, fortunæqve hominum in incerto eſſent: tolle legem hanc: nemini de ſalute ſua diutius, qvàm calumniatori alicui libuerit, conſtare poterit. Iam præſcriptiones temporis, qvæ noſtris etiam legibus receptæ ſunt, qva alia re niſi exiguo temporis puncto dominium à vero domino ad poſſeſſorem transferunt? Itaqve ſi uno menſe ſeriùs, qvàm à lege mihi præſcriptum ſit, fundum meum repetiero, eum non habebo: habebit is, ad qvem aliâs jure non pertineret. Qvare? qvia publicè intereſt, ne in infinitũ poſſeſſiones in incerto ſint. Itaqve habet omne ferè jus aliqvid ex iniqvo, qvod utilitas deinde publica, ut æ-

qvum

qvum habeatur, facit. Multa ex omni jure, maximè autem noſtro hujuſmodi cõmemorare poſſem; ſed non longiùs me diſcedere neceſſe eſt, cùm ab adverſariis ipſis exemplum ejus rei petere poſſim. Etenim cùm paulò antè contra citationem diſputabant, de rei né ipſius æqvitate, aut verborum, ut ita dicam, formulis diſceptatio erat? Cùm ſi uno verbo non rectè compoſitam à me citationem fuiſſe judicaretur, ut ego punirer contendebant? Verùmtamen qvemadmodum in tota hac cauſa verſari decrevi, videte. nolo abuti hoc ſive errato, ſive negligentia illorum: nolo temporis hac pręſcriptione ipſorũ præſcriptionem ſummoviſſe videri: vincant tanqvam re integra, ſine delatore nunqvam in judicium ab inſtigatore vocari qvenqvam poſſe. Proferunt hîc legem Caſimiri, in qva ita ſcriptum eſt: *Statuimus, qvòd in cauſis criminalibus in abſentia accuſantis, ſeu actoris, cuius intereſt, nos vel noſtri ſucceſſores, aut capitanei noſtri cognoſcere non debemus: nec aliqvem hominem condemnare niſi victum iudicio & confeſſum.* Iam qvis eſt, qvin legem hanc ad id cauſarum genus, in qvo nos nunc verſamur, omninò non pertinere intelligat: ac id ſolùm regiarum actionum genus complecti, in qvibus non modò Regis, verùm conjunctim cum Rege, alterius cujuſqvam perſonę privatim res vertatur, ſeu qvemadmodũ lex inqvit, interſit? Duo

enim cùm actionum genera ſint, qvæ per inſtigatorem proponi ſolent, unum in qvibus injuria publicè qvidem ad Regem & remp. privatim autem ad alium qvempiam pertinet: alterum qvòd Regẽ ipſum aut remp. propriè petit: ſi cùm fides publica mihi data ſit, me violaveris, publicè qvidem ad Regem injuria hæc pertinet, ſeu qvòd jus publicum, cujus cuſtos Rex eſt, ſeu qvòd authoritas regia, qva te ctisſimũ me eſſe oportebat, in me violata ſit: propriè tamen in me incurrit. In hoc genere noluerunt majores noſtri laxare frenos poteſtati inſtigatoriæ, ut ſine eo, qvi privatim læſus eſſet, reipub. ac legum injuriam perſeqvi poſsit. Alterum genus eſt, ſi ipſius Regis dignitatem, ſalutem, vitam violes; in quo dolor quidem injuriæ publicè ad omnes: privatim autem ad Regem ipſum ſpectat. De hoc genere ſi iſta etiam lex agit, alterutrum ex eo effici neceſſe eſt, qvorum neutrum illi velint; unum quod iam antè effectum eſt, non prohiberi Regem in ſua injuria judicem etiam eſſe, aut ut planiùs dicam, eundẽ & delatoris per inſtigatorem & judicis per ſe partes ſuſtinere: alterum vel ut ſine delatore cognoſcere tales cauſas, & damnare crimen poſsit. Qvo enim loco nec ſe ſucceſſoresúe ſuos nec capitaneos abſen te accuſatore, ſeu actore, cujus intereſt, ullum condemnare debere ſtatuit, de duobus certè criminum gene-

generibus agere ſe oſtendit: uno, qvòd à capitaneis judicari poſsit, altero qvòd non niſi à Regibus. Ad quod cùm & hęc ſine dubitatione pertineāt,quę in Regem ipſum incurrant,neceſſariò cōſeqvitur, ut cū is cujus præcipuè interſit,Rex ſcilicet,judicare debeat,alius cujus etiam privatim non interſit,id eſt inſtigator accuſare poſsit: cùm quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt, publicè quidem omnium, priuatim nullius alterius in hujuſmodi cauſis intereſſe poſsit. Iam verò qvod antea etiā qvæſiui, cū de judice ageretur,ſi nec Rex ipſe ad accuſandū deſcēdere poteſt, propter majeſtatem: nec alius ejus nomine propter injuriam, qvæ aliena ſit, qvæ igitur injuriæ in Regē perſecutio erit? aut verò eorum criminum, qvæ in remp. univerſam committuntur, qvibus conjunctim omnes,privatim nemo læditur, qvis accuſator erit? Etenim reſp. tota, ſi una voce loqveretur, hoc diceret: Qvicqvid ab impio cive ſceleris in patriam admitti poteſt,id tu Chiſtophore Sborovj in me admiſiſti, ſuſcepiſti, perficere conatus es: capitali hoſti meo Moſco tempore belli, operam tuam fidemqve contra me addixiſti: Regem vita ac dignitate: me mea pace,ac tranqvillitate turbare voluiſti: qvo nomine pœnas legibus debitas abs te repeto. ſi univerſa, ut dixi, reſp. loqvi poſſet, hac voce uteretur. qvoniam id ipſa non poteſt, ſi præterea nullus in judicium vo-

um vocare aliqvem posſit, niſi cujus privatim interſit, impunè & hæc facta erunt, & deinceps fieri poterunt. cùm publicè qvidem ea ad omnes, privatim ad neminem pertineant. In ea igitur rep. in qva privati nullius injuria impunita eſſe debet, Regis periculum ultorem nullum habebit? ac per qvem cæteri ſalui ſunt, ejus ſalus ipſa ne legum qvidem præſidio ullo munita erit? impunè reſp. diripietur, qva everſa nemo ſalvus eſſe poterit. Qvo ſi nihil poteſt eſſe non modò abſurdius, verùmetiam exitioſius, con cedant tandẽ neceſſe eſt, actorem qvidem ac accuſatorem, qvi poſtulet, agat, accuſet ſemper: qvi privatim ſua intereſſe dicat, non ſemper reqviri. In privatorum enim injuriis, ut qvis alienam etiam injuriam privatim ad ſe pertinere posſit dicere, contingere poteſt: Regis periculum non magis ad unum ſigillatim, qvàm ad omnes communiter pertinere poteſt. Illi enim cùm læduntur, non modò ipſi, verùm propinqvi etiam eorum injuriam accipere videntur: itaqve & ratione & moribus & jure ſcripto, cùm pri vatus aliqvis injuria affectus eſt, ut qviſqve gradu proximus eſt, ita alienæ injuriæ tanqvam ſuæ perſecutio ei datur. Rex dum cum rep. arctisſima necesſitudine conjungitur, privatas cognationes omnes exuit; tranſit autem, qvemadmodum dixi, in publicam: in qva ipſe populis ſubiectis lege ac jure publi

co eſt

co eſt princeps, amore ac beneficiis parens: hi voluntate ei ſubiecti, obſeqvio, fide, cura, ac ſolicitudine filii. Itaqve ſi privato eo jure iis potisſimum actio in Regis periculo dãda eſt, qvi cognatione proximi ei ſint, omnibus danda eſt; ac multò quidem meliori ratione, qvàm privato alicui in cauſa propinqvi: quòd hic propinqvo violato ſalvus nihilòminùs eſſe poteſt: Rege ac rep. ſublata, nemo omnium noſtrum ſalvus eſſe poſſet. Ad omnes igitur regii periculi propulſatio, ſalutiſqve ejus cura pertinet. qvod ſcilicet & Senatores jurejurando: univerſa autem nobilitas multis fœderibus, maximè autem de proxima electione hac inito, cùm ſanctisſimè tuendam defendendamqve eã ſuſcepit, teſtata eſt. Qvod ſi qvemadmodum oſtendi, reſp. univerſa vocem emittere non poteſt, atqve idcirco uno actore opus eſt, qvis rectius ad injuriæ publicæ perſeqvutionem accedet, qvàm cui more inſtitutoqve majorum, ac aliarum rerump. exemplo, ne reip. injuriæ neglectę ſint, publica authoritate accuſandi munus delatum eſt: qvid verò illorum intereſſe poteſt, ego né aut alius actorem ſe profiteatur, cùm æqvè ad omnes hæc crimina pertineant? Etenim qvis tandem jure in me reprehendat, ſi ego non modò regiam cauſam me recepiſſe, ſed & meam pro mea virili tanqvam civem me agere, & communem ſuſcepiſſe me

 dicam

dicam. Verùm video pluribus me agere, cùm pau ciſsimis expediri res poſſit. Etenim extat lex Sigiſm. Aug. de qva ſuprà etiam mentio à me facta eſt, de cauſis regiis. in qva dum ad qvoddam tempus qvaſdam cauſas inſtigator evocare vetatur, diſertis verbis perſcriptum eſt: neqve ad inſtantiam ſuam ipſius neqve perſonæ regiæ, neqve ad delationem partis facere id eum debere. Qvid apertius eſſe poteſt, qvàm his verbis docetur in cauſis ad perſonam dignitatem bona regia merè pertinentibus, inſtigatorem ut cum delatore, ita aliqvando etiam ſine delatore agere poſſe? Id enim niſi poſſet, qvorſum hæc inter ſe diſtingveret, ac ſegregaret? uno ſiqvidem verbo expedire rem potuiſſet. Iam verò citare eum vetat. *neqve ad inſtantiam ſuam inſtigatoris nimirum ipſius, neqve perſonæ noſtræ.* Hoc igitur qvando aut in qvibus cauſis fit, ut inſtigator vel ſuo nomine, vel regio ſolo, vel Rex ipſe aliqvem citet? In iis certè qvæ vel ad fiſcum, cui inſtigatoris munus præpoſitum eſt, vel perſonam regiam, qvalis hæc eſt, propriè pertinent. Addit tertium genus cauſarum: neqve ad delationem partis: id qvale ſit & antè oſtendi, & nemo non ſua ſponte perſpicit: uſus ac conſvetudo teſtatur. in qvibus nimirum cùm privati injuria vel commodo, publica injuria, atqve commodum conjungitur. Iam verò mos majorum ratiòqve

citandi

citandi per manus ab iis nobis tradita exiguũ né pon dus apud nos habere debet? extat formula citatiõis, qva crimen majeſtatis in judiciũ vocari jam antè etiã ſolitum fuit: ex qva conſvetudo certè in hujuſmodi accuſationibus progrediendi certaqve & indubitata ratio ſatis colligitur: eodem libro, qvo leges editæ ſunt, compræhenſa eſt. deniqve apud adverſarios levis authoritas ejus eſſe non poteſt, qva paulò antè, cùm citationẽ non ordine à me ſcriptam docere conarentur, ipſi contra me uſi ſunt. doceant in hac ullã delatoris, ſeu accuſatoris alterius, cujus interſit, qvàm regis ipſius atq. inſtigatoris mentionem fieri. At iniqvum atq. durum eſt, neminem in judicio certũ adverſarium habere, qvo ulciſcendo ſi temerè negotiũ factum tibi appareat, injuriæ tuæ dolorem reſtingvere poſsis: terreri homines innocentes: raptari ad Co mitia: ſumptibus ac laboribus vexari; eaqve omnia cùm ſine cauſa perpeſsi fuerint, ne qverendi qvidem de tanta injuria locũ ullum ſibi dari. Qvæ ut ego iniqua eſſe concedam, illi mihi multò iniquius eſſe concedant neceſſe eſt, ſi Rex per ſe ipſum inſidias vitæ ſuæ ab aliqvo poſitas deprehendat: tantum ſcelus literis eius, manu, ſigno, teſtibus deniqve conſtrictum teneat, ac verò propter majeſtatem ipſe accuſare non poſsit, ſi nec per inſtigatorem id facere ei liceat, omninò id impunitum eum relinqvere: ac cu-

iis rebus, qvæ prolatæ contra eum fuerunt, iam antè etiam cenſuit. Verumtamen qvis eſt, quin duplici ferè nomine in judiciis regiis qvæ ad delationem cujuſquam ſuſcepta ſint, delatorem præſentem reqviri intelligat; partim qvidem ut eum, cujus potisſimũ interſit: partim qvi juramento reum convincat. in hoc igitur judicio ſi cujus interſit, qværitur, omnium intereſt? ſi ut juramento aliqvis reum convincat, jurabit non unus, ſed tot alii homines honeſti nobiles, qvi teſtimonium contra eum ferent. Cujus enim magis qvod ſæpè iam dixi, intereſſe poteſt ſingulorum, non violatam Regis ſalutem atqve dignitatem eſſe, qvàm conjunctim intereſt, univerſorum. non modò qvòd ipſius ſalute reip. ſalus, hujus ſingulorum contineatur: ſed qvòd eodem etiam ſanctisſimo fœdere omnes obſtricti ei ſumus, ut qvi eius ſalutis inimicus fuerit, eum omnes pro hoſte habeamus. Vnius autẽ, qvi rei ſuæ cauſa ad accuſandum deſcenderit, juramentum ſi reum convincere poteſt, qvanto plus tot aliorum valere debet, qvi non privato compendio, ſed ſola reip. cauſa ac religione ducti, jurati teſtimonium dixerint? Qvibus igitur rebus reus fretus, judicium hoc evadere ſe poſſe ſperârit, videtis: in qvibus ne plus qvàm in ſua quiſqve innocentia præſidii habere debeat, habuiſſe videatur: & cùm cauſam innocentisſimi homines aliqvando dicere cogã-

 tur,

tur, nocentisſimus ſuo arbitratu eludere judicium poſſit, veſtræ iuſticiæ eſt facere.

ANDREAE RECICII
INSTIGATORIS REGII V. NOB.
accuſationis in Chriſtophorum Sborovium actio tertia

De criminibus.

QVoties animo mecum reputo, Sereniſsime Rex, ampliſsimiqve Senatores, cùm libertatis noſtræ, tùm temporum horum ſtatum, non caſu aliqvo aut humano conſilio, ſed divinitus factum exiſtimo, ut tantis talibusqve Chriſtophori Sborovii criminibus patefactis in judicium adductus is ſit. Qvis enim eſt, qvin videat, talem & à majoribus noſtris libertatem nos accepiſſe, & ea ſuperioribus temporibus tentata eſſe, ut non tam de ea amplificanda, aut contra potentiam principum munienda, qvàm contra tacitũ qvorundam ſcelus defendenda nobis ſit? Nam & ita cõſtituta eſt, ut nulla ferè ad eam acceſsio fieri poſsit: & ita munita, ut nullius vim pertimeſcere in ea debeamus:

beamus: à certorum hominum avaritia atqve audacia neſcio qvomodo, non ſatis tuta hactenus fuiſſe videtur. Nihil in omni ferè libertate præſtantiùs qvã juris ac ipſius libertatis æquitas eſt. quæ cùm in omnibus rebus omnium debet eſſe par, tùm verò in maxima, interregnis nimirum ac de Regum creatione ſuffragiis. qvæ qvomodo ſuperioribus temporibus ad paucos ab omnibus non modò tranſlata, verùm turpiſsimè ab iiſdem vendita ſint, à me dici neceſſe non eſt: eò ſceleris,quò nunc ob eaſdem res deſcenſum eſt, nemo tamen progreſſus adhuc fuit. Fuerint ſanè reperti aliqvi, qvi de re ſanctiſsima, communiqve omnium jure nundinarentur: magnum naufragium libertatis communis: ingens reipub. periculũ: gravis ad exteros infamia. ut qvis ob cupiditatem ſuam,publicum hoſtem in regnum inducere vellet:aut qvo denuò, ad qvem videretur, regnum transferre ipſe poſſet, ab omnibus electum regem interimere, omnemqve reipublic. ſtatum evertere in animum qvis induceret, inauditum adhuc fuit. Nunc ita accidit, ut ſuperiora cum libertatis aliqva iactura ferri tamen potuiſſe videantur; hæc cum libertate ſalutem ipſam petant. Tali igitur tempore hæc potiſsimum crimina in judicium adducta eſſe, divina planè voluntate factum exiſtimare debemus; quæ & ita manifeſta ſint, ut negari; & ita atrocia ut negligi

impu-

impunitaqve ſine ſummo reipub.exitio relinqvi non poſsint. Qvid enim? mediocre fortaſsis crimen in judicium voco?tale quo & eſſe nullum majus posſit: & in hac repub. nullum immanius extitit.At ita fortaſsis obſcura, ut negari: vel ita non manifeſta, ut diſsimulari poſsint? plurimis iisqve fide dignis teſtibus, multorum hominum conſcientia ipſius deniqve rei literis, manu, ſigno,confeſsione deniqve ferè teſtata. nihil hîc eſt, in qvo qviſqvam hærere vel clementiæ aut diſsimulationi ſine ſummo reipub.exitio locum eſſe poſſe exiſtimet. Etenim non defertur iã, verùm publicè ſub omnium qvaſi hominum oculos atqve conſpectum hujuſmodi res à me in judicio pro fertur, quæ ſi perfecta fuiſſet, non modò judicium nullum, ſed etiam reſpub. nulla jam eſſet. ſitis in hoc miſericordes: ſi ſine ſumma crudelitatis nota tali in re miſericordię opinionem qværere qvis poteſt: Qvẽ ab ullo injurię genere metus judiciorum,pænarumq. retinere poſthàc poterit? Hac igitur in cauſa etſi cur qvenq. in judiciũ vocem, rationem reddere non debeo: quod munus mihi impoſitum omnem hujus rei rationẽ ſuſtinet:tamen ſi ego ut hoc munus mihi im poſitum non eſſet,reip.cauſa ad accuſandum deſcen dere me dicerem, ut partem ejus maximè ægram tã neceſſariò tempore pro mea etiam parte iuvarẽ,qvis tandem id in me reprehendat? Ego autem hoc non

modò

modò verè dicere poſſum, ſed neceſſariò etiam dicere debeo. qvòd qvæ mihi iuſtisſima cauſa ad accuſandum viſa eſt, eadem vobis & ad diligenter crimē cognoſcendum, & patefactum puniendum debet videri. Non enim de privata aliqva injuria, aut communi crimine, ſed de nefario inauditoqve ſcelere: de rep. univerſa, de ſalute omnium noſtrum, conjugum liberorumqve noſtrorum judicabitis. Cùm in conſilium ibitis, qvid de univerſa repub. ſperare nos deinceps velitis, ſtatuetis: num metum aliqvem ſceleratis civibus in ea violanda propoſitum, an omnium ſcelerum ſervos publicè impunitate propoſita, in vitam dignitatemqve principis, atqve remp. ſine ullo iudiciorum pænarumqve metu graſſari velitis. Verùm priusqvàm ad ipſa crimina accedam, qvorundam hominum opinioni occurrendum mihi intelligo. Video enim qvoſdam eſſe, qvi cauſam eius agāt, defendant: alios qvi excuſent: nonnullos fortasſis etiam qvi non credant. Qvorum ego hominum cùm tria genera eſſe exiſtimem, ſingulis reſpondebo. Vnum eorum genus eſſe ſentio, qvi privata necesſitudine aliqva, ſangvinisqve conjunctione moveantur. Video enim eſſe nonnullos, qvi ita exiſtiment, labē aliqvam à claris familiis ſuſcipi, ſi qvi ab illis profecti ſint, pænis ſcelerum affecti cùm perpetua infamiæ nota ad poſteritatem prodantur. qvi mihi cùm

in magno errore, tùm reip. atqve libertati pernicioſo verſari videntur. Vt enim nullius ſoli tanta bonitas eſt, ut non ſæpè inutiles, nonnunqvam etiam pernicioſas herbas ac venena effundat; ita in hoc humani generis ſatu ac propagatione nulla naturæ præſtantia efficere poteſt, vt generoſisſimæ ſtirpis non pravisſimi aliqvando fœtus ſint. qvibus non tam claræ domus inqvinantur, ſi qvæ in iis pravitas orta ſit, qvàm illuſtrantur, ſi eam à ſe ejecerint, ſegregârint, præciderint. Itaqve multæ mihi amplisſimæ familiæ non minorem laudem è pœnis ſuorum, qvàm aliæ ex rectè factis adepti videntur. Qvis enim authorem illum libertatis Romanæ, non admirabiliorem in filiorum facinoribus puniendis, qvàm ipſa libertate parienda judicat? qvis non Casſio laudi ducit, qvi filium regnum occupare conantem intra domeſticos parietes occiderit? Dum memoria Catilinariæ conjurationis vigebit, Fulvii Senatoris factũ non ſilebitur, qvi filium in Catilinæ caſtra ſe conjicientem ex fuga retractum parens interfici iusſit. Nulli unquam alienum ſcelus probro fuit; multis, qvi inſectati id ſint, etiam laudi fuit. Itaqve Manlia gens nó modo damnato M. Manlio Capitolino appetiti regni; at qvali viro? perpetuam notam inusſit, cùm ut qvo ipſe præ nomine fuiſſet, nemo Manlius deinceps vocaretur ſanxit: verùm reo etiam adhuc

nemo

nemo ex tam numeroſa & nobili domo, ex tot agnatis, ne ex fratribus qvidem germanis, qvos duos habebat, ei adfuiſſe: nemo veſtem ejus cauſa mutaſſe: nemo populo ſupplicaſſe magna cum laude eorum traditur. Qvid domeſtica exempla an minus illuſtria ejus rei habemus? Qvæ apud nos clarior eſt familia Thencinia? pudori né illa ſibi ducit, extitiſſe qvandam ex illis, qvæ ſui pudoris non eam, qvam dignitas familiæ ejus reqvirebat, curam habuerit? tãtum abeſt, ut cùm ab agnatis ipſis animadverſum in eam fuerit, turrim in qva periit ad hodiernum diem ab eius nomine Dorotheam appellent; perpetuumqve & iſtius flagitii & ſuæ ſeveritatis, qva qvoſdam deinde alios etiam ex agnatis ſuis in eadem turri necârint, monumentum extare voluerint. Nicolaus Vitovicius Capitaneus Cracovienſis filium Archidiaconum Cracovienſem, qvi in adulterio deprehẽſus maritum vltrò occiderat, à ſe captum fame ipſe necavit. Noſtra memoria, Oſcikus nobilisſimæ ac antiqvisſimæ in Litvania familiæ homo pro ſcelere ſuo publicè ſupplicio affectus fuit: Num propterea illi aliorum gentilium cognatorumqve ſuorum dignitatem minuerunt? Qvod ſi hoc clarioribus familiis demus, ut propter claritatem earum impunitæ ſint; qvis eſt, qvi non videat, non modò libertatem omnem, qvæ æqvitate ſola continetur, verùm remp. e-

riam univerſam tolli? Qvo jure enim cùm tu non magis civis ſis, qvàm ego, omnia ſcelera impunè tu ſuſcipias: ego tenuior, ſi qvid admiſero, omnes cruciatus perferam? Qvid ſi potentiorum peccata eò etiam graviora putanda ſunt, qvòd non modò ipſi corrumpuntur, verùm alios etiam corrumpant? manāt enim exempla ab illis ad inferiores: & qvales eorum mores ſunt, tales ferè omnium in repub. exiſtere neceſſe eſt. Alterum eorum genus eſſe ſuſpicor, qvi fortè ab illis circumventi, inqve fraudem inducti, cùm conſiliorum eorum conſcii fuerint, nunc idem qvod in hoſce ſtatutum fuerit, in ſe metuant. Eos ego non qvòd certi aliqvid habeam, eſſe dico: ſed qvòd ea eſt natura conjurationum, machinationumqve contra rempub. ut tanqvam contagium aliqvod latiùs manent, brevi tempore multos homines complectantur: qvòd ſi qvi hujuſmodi ſint niſi ipſi ſe commoverint, omni metu eos libero. Itaqve prædico, moneo, hortor qvieſcant. nemo ſcrutabitur, nemo excutiet, nemo inqviret. Optaret Rex ſe ſine ullius non modò ſupplicio, verùm offenſa etiam, cùm ſuæ, tùm reip. ſecuritati conſulere potuiſſe: his ipſis parcere cupiviſſet, niſi rebus tam manifeſtis prolatis, ſi eas neglexiſſet, in majus periculum reipub. ſalutem adducturum ſeſe intellexiſſet: natura ad humanitatem ſe factum ſentit, ſeveritatis partes à repub. ſibi impoſitas;

ad tem-

ad tempus atqve ita ſuſcipiendas ſtatuit, ne qvicqvā qvod ſanari potuerit, reſecaſſe videatur: ſcit in multis rebuspub. ſæpè maximas conjurationes unius aut ad ſummum alterius ſupplicio extinctas eſſe. prudentes ita conſulere reipub. ut qvantum fieri ejus poſsit, ſingulis parcatur. Itaqve ſi ad qvos contagio hujus rei pervenerit, patiantur modò ipſi latere peccatum ſuum: non ipſi ſe indicent: nemo eruet. Tertium eorū genus eſt, qvi ſimplicitate fortaſsis inducti, qvòd ipſi homines minimè mali ſint, tantum flagitium in aliis etiam exiſtere non potuiſſe exiſtimant. Qvorum ut tacitis ſenſibus, atqve opinionī occurram, pauca mihi de antè acta vita ipſius atqve moribus repetenda exiſtimo: non qvò qvicqvam commemoraturum me exiſtimem, qvod in auditum cuipiam antehàc fuerit, ac nō qvę omnibus ante hàc cognita fuerint, mecum potiùs jam recognituros arbitrer: ſed tamen omnibus ferè in graviorum criminum judiciis qvid qvisqve voluerit, cogitârit, admiſerit, non tam ex ſcelere, qvàm moribus etiam ejus, qvi arguitur ponderari ſolet. Neqve enim, qvemadmodum interdum vultus, atqve oratio, ita animus qvoque ſubitò fingi poteſt, neqve cujuſqvam repente vita mutari, aut natura converti. Nullum ſcelus ſubitò concipitur. nec cujus jam multò antè non modò animus depravatus, verùm domeſticæ etiam fortunæ profligatæ fu-

 erint,

erint, audacia ſingularis, mores feri, immanis natu-ra, omnia deniqve ad perniciem perdita, ejus vita ab ullo vel maximo ſcelere aliena videri poteſt. Iam verò cùm & temporis & dignitatis veſtrę ratio mihi habenda ſit, primum illum actum iſtius vitæ totum prætermittam: nihil à me ex adoleſcentia ſua audi-et; qvod vel ſic ea acta eſt, ut ignota nulli propter neqvitiam atqve luxuriam ejus ſit, vel à me tali lo-co honeſtè commemorari non poſsit. ſatis eſt id in memoriam me vobis revocare, breviſsimo tempo ris ſpatio à patris morte patrimonium omne ſuum eum abliguriiſſe: decoxiſſe: æs alienum grande cõ-traxiſſe: condemnatum à creditoribus, proſcriptum-qve aliqvot in judiciis fuiſſe. qvibus ſtudiis, qvamq; honeſtis ad eos ſcopulos afflictus ſit, nemo eſt, qvin etiam me tacente intelligat. ſed eſt tamen proprium qvoddam ejus temporis facinus ipſius, qvod antè id luxuriæ ſaltem vitiis clarum, fortitudinis etiam lau-de nobilitauit. Bochdanus fuit princeps Valachiæ cùm ſingulari humanitate, tùm qvi ſtudium in nomẽ Polonicum qvod à patre traditum acceperat, ipſe u-ſu etiam freqventi atqve conſvetudine cum Polonis auxerat: nam & ipſe literis fidei publicæ à Sigiſmun do Auguſto acceptis crebrò in Poloniam vẽtitabat, & conditionem præterea ex ea ſibi petebat: nupti-as enim Hedwigis Tarlovæ, qvæ Palatino Ruſsiæ

poſtea

poſtea nupſit,ambiebat: tum non minùs freqventes ex noſtris ad ſe invitabat. Hic, cùm, ut oſtendi, patrimonium jam omne ſuum prodegiſſet, ita ut ære alieno penè oppreſſo eæ, qvæ paulò pòſt conſecutæ ſunt, proſcriptiones jam impenderent, qvò ruinas rei familiaris fulciret, de una ſororum illius: habebat autem Bochdanus ſorores tres: ducenda cogitare cœpit. Qvid multis? in Valachiam ad eum proficiſcitur: petit ab eo ſororem in uxorem; negat eam illi Valachus: non enim continentiorem in ſororis dote, qvàm in patrimonio ſuo fuerat, futurum exiſtimabat: moleſtè hic fert: nihil interim ſuſpicatur Valachus, qvi ſuo jure uſus fuerat: pro more in Poloniam, ad nuptias, qvę tum forte erãt proproficiſcitur, inqve itinere à comitatu ſuo ſolus ferè excurrit: qvòd & fidei publicæ literas à Sigiſm. Auguſto haberet: & neqve commiſſum à ſe intelligeret, quare timeret, nec ſine cauſa timendum putaret. hic inſidiis inſtructis è via illum aggreditur: nihil minus verentem graviter ſauciat, unoqve ictu cũ innocentisſimum iuvenem, tùm fidem publicam nefariè violat: ſaucium abducit: à captivo magnæ pecunię ſummę ſponſionẽ vadesq. ejus per vim & latrocinių exprimit. Qvamùis hic fortaſsis non verã facinoris hujus cauſam proferri à me dicet. Solet enim ob luſum, neſcio qvem, puerilem, qvòd in eo cũ tor-

qve aureo,quem tamē dono poſtea acceperat,à Valacho vapulaſſet,injuriam ſuam ſe vltum præſeferre. Qvi certè cùm familiaritatis indiciū eſſet, inimicitiarum cauſa eſſe non debuit: violandæ verò fidei publicę, aut latrocinii exercendi,qvę iuſta cauſa unqvā eſſe poteſt? Verū ſcio me de rebus notisſimis loqvi; eò ſum brevior; neminem enim eſſe puto,qvi & qvā flagitioſè id ab eo perpetratū fuerit,& qvàm grauiter Sigiſmundus Auguſtus tulerit, ignoret. Moritur interim Sigiſmundus Auguſtus: hic metu judicii & pænarum, qvæ jam tum illi impendebant liberatus fuit. Nōdum hîc dicam qvæ in Sigiſmundum Aug. paulò ante mortem ipſius machinatos ſe eſſe ultrò iactârint: ut ejus mors non tam illum impiis eorum conſiliis,qvàm patriam tanto ſceleri eripere voluiſſe videatur. Sed narrabuntur ea poſtea à me: vos an hîc ea vita,eoqve facto qvò gravisſimè offenſum Sigiſmundum à ſe ſciebat, alienus à conſiliis iis fuerit ſuſpicari poteritis. Iam verò in interregnis,qvæ ipſius flagitia, qvàm fœda reip. nundinatio fuit? aliud omninò patrimonium obveniſſe ſibi exiſtimabat: Vnum tamen ſingulare factum ejus cognoſcite. Nō vereor Sereniſſime Rex, ne qvis ſummis laudibus tuis detractum qvid exiſtimet, ſi qvi de omnibus bene exiſtimare ſoles, in uno hoc cavendo minus cautus fuiſſe videaris. Defatigarât hic omnes diviſores:

Mors Sigiſmundi Auguſti Regis Poloniæ

nemo

nemo iam erat, à qvo qvidqvam emungere poſſet: notus erat omnibus: in Tranſilvaniam ad Regem, qvi princeps tum Tranſilvaniæ erat, ſe contulit: operam non ſuam modò, ſed alienam etiam ei detulit; utqve pro ſe regnum ambiret, hortari cœpit. Rex eo animo tum erat, ut non tàm ipſe ad regnum aſpiraret: qvòd ſi ambiendum ſibi eſſet, virtute potiùs qvàm pecunia ambiret: ut tamen civis potiùs aliqvis regni, qvàm externus eligeretur, malebat. Maximè autem in D. Maximiliano Imp. ſummam qvidem tanti Principis inter Chriſtianos principes authoritatem, familiæqve eius dignitatem obſervabat: invidiam Turcicam in eo metuebat: eaqve ex re ſi bellum inter ipſum & Turcarum Imperatorem extitiſſet, ſe, qui inter utrosqve interjectus eſſet, ſummo in periculo verſaturũ videbat. dicebantur, qvi Imperatori ſtudebant, ita in partibus verſari, ut vim diſſentientibus facturi eſſent. Cui qvò faciliùs obſiſti poſſet, ut pecunia aliqva partes juvaret, à Rege petit: negotium ultrò ſuſcipit: viginti aureorum millibus acceptis diſcedit. Si negant, ſyngrapha pecuniæ ejus à Samuele fratre iſtius & ipſo confecta à me proferetur. Animadvertite jam ingenium & fidem hominis. ab eo quem ipſe ſolicitarât, à qvo pecuniam acceperat, ad illum contra qvem eam acceperat rectà profugit: aurum avertit: eas ipſas partes,

pro qvibus eas acceperat, oppugnat. Qva una in re qvanta ſcelera inſint, qvid attinet me dicere? de re, qvæ communis omnium eſt, tanqvam de patrimonio ſuo, qvod nullum iam tum habebat, privatim tractare inſtituit: in eo ipſo deinde, qvòd convenerat, non remp. modò, quam ſuo conſilio gerendam ſuſceperat, verùm eum ſimul qvi crediderat, deſtituit, qvantúmqve in ipſo eſt, communem vitæ ſocietatem tollit; cùm fidem qva ea continetur, evertit. Exiſtimate nunc ullum ſcelus ab ejus vita abhorrere, qvi uno ſcelere tot flagitia ſuſceperit? ſed qvid ſi id qvoqve majori alio, ac ſe ipſum potiùs deinde ſuperavit? ſi poteſt hoc aliquod majus eſſe: ſed tamen videte hominis amentiam. Eum qvem, ut regnum ambiret, ipſe hortatus fuerat: cui operam, ſtudiúmq. ſuum detulerat: à quo pecuniam acceperat, ei cùm ab ordinibus ultro deinde delatum regnum fuiſſet, Cracoviam ingredientem, in domo qvadam cum complicibus aliqvibus ſuis occultatus, de feneſtra clam occidere voluit. Non dubito, cùm caſus qvidã à tam nefario ſcelere eum avertiſſet, qui tamen poſtea ſermones hominum, qvamqve freqvens fama ejus rei fuerit, pleroſqve recordari: Frater ipſius Samuel, anteqvàm ſupplicium de eo ſumeretur, faſſus eſt: ipſe negare non poteſt. Verùm de toto hoc crimine poſtea agemus. Interim qvibus ſceleribus, qvibuſ-

Cracovia

qve conſcientiæ ſtimulis agitatus fuerit, videtis. Videbat ſcilicet ſe honeſtum eſſe non poſſe, dum is, in qvem tantum flagitium admiſerat, ſalvus eſſet. Multa à me prætereuntur: & tamen multa dicuntur. Verùm tamen ad propria hujus accuſationis crimina propero; interim veſtræ prudentiæ eſt, cùm qvalis in hiſce rebus fuerit, perſpexeritis, qvalem in reliqva vita ſe præſtiterit cogitare. Ego unum adhuc ſi egregium ejus in patriam pietatis ſpecimen protulero, ad illa qvibus in judicium vocatus eſt, crimina accedā. à ſcelere illo, cùm perficere id non poſſet, deiectus, in Germaniam deinde ad Maximilianum Imperatorem profugit. Non neceſſe mihi nunc arbitror eorũ temporum mala attingere: ſed meminiſtis tamen, ut ſingulari reipub. fato in duos Reges diviſum tum regnum fuerit. Iam ingreſſus regnum Rex erat: eodem tempore D. Maximilianus Imperator de regno, utrum ſibi adeundum eſſet, cum ordinibus imperii conſultabat. qva de re cùm legationem ad eum reſpub. decreviſſet, miſſi fuerunt, Ioannes Demetrius Solikovius Archiepiſcopus nunc Leopolienſis, & Ioannes Krotovſcius Palatinides Vladiſlavieñ. qvi regnum alteri jure delatum docerent, qvantúmq. communis reipub. Chriſtianæ intereſſet, ut ad pacata conſilia ſe converteret, oſtenderent. Aderat tum Chriſtophorus hic Sborovius. ſingularem hominis

Germania

pietatem attendite. qvi tales viros, vel propter communionem nominis Polonici, etiam ſi privati ea in loca veniſſent, omnibus officiis colere debebat, ab ordinibus in publica cauſa miſſos, dum mandata ſua exponunt, publicè interpellare, mendaciiqve arguere, ac tam inſigne convitium facere iis non dubitat. Morte interim Maximiliano Imp: illi etiam ferè omnis novarum nundinationum ſpes deceſſerat: regnũ enim pacatè jam obtineri à Rege videbat: nullum reperire poterat, qvi alterius vivi poſſeſsionem emere vellet: minùs jam ibi etiam fieri ſe exiſtimabat. aurum quod à Rege interceperat, prodegerat: egebat: qvò ſe verteret non habebat. Itaqve vagabatur: modò in Cæſarea aula erat: modò in Italia. in qva qvid diçam, qvomodo vixerit: conſtat inter omnes, qvi eo tempore in Italia fuerunt, ita eum vixiſſe flagitiosè, ut cùm ad cauponem divertiſſet, in caupona né an lupanari diverſòrium haberet, neſciretur: ita ſuperbè: qvamùis id ubiqve: ut puderet jam eum majorum ſuorum, ac ordinis nobilitatis, comitemqve ſe haberi vellet: ita miſerè, ut comes hic ſæpè uno ſolo puero comitatus nòn eſſet. ſed ut ad accuſationis noſtræ crimen jam veniam, qvemadmodum oſtendi egebat. Itaqve ut feræ etiam beſtiæ fame ſtimulatæ in rabiem ſæpè vertuntur, ita ille in omnes partes ſe verſabat. Dederant jam antea per Zachari-

chariam Zuchovſcium literas ipſe & frater ejus Samuel ad Moſcũ: operamq́. ſuam illi detulerant: non dicam nunc principi Barbaro: crudeli: omniũ, qvicumqve extiterint tyrannorum immaniſsimo: ſed perpetuo hoſti ſeminis nominisq́. noſtri. Bellum graviſsimum cum Moſco juſſu ordinum gerebatur: Moſcus qvi viribus parum confidendum ſibi arbitrabatur, ad præſidium à proditione petendum converſus, eoſdem illos, qvorum antè operam vel expertus fuerat, vel iidem, qvi eam illi navârant, oſtentârant, appellat: literas ad Oſcikum, ad Chriſtophorum Sborovium: fratrem ejus Samuelem: ad Albertum Laſcum Palatinum Siradienſem, qvem honoris cauſa nomino, dedit: de hoc non qvòd certi aliqvid polliceri ſibi poſſet, qvemadmodum poſtea patuit, ſed qvòd alii fortaſsis, qvò faciliùs emungere eum argento poſſent, polliciti de eo illi fuiſſent. Hic ille qvid agit? egregium credo aliquem civem ſe præſtat: literas exhibet: rem ad Regẽ: ad magiſtratus defert: conſilia molitionesqve hoſtis aperit. Legatis, qui ad Rodolphum Imp. miſsi fuerant, inter qvos princeps fuerat, Oſtanaſi Rezanoff ultrò ſe offert: literas ab illis accipit: conſilia cum iis contra patriam agitat; ſi pecuniam in viaticum accipiat, omnia ſe facturũ pollicetur. Operæpretium eſt, hic ſingularẽ hominis non modò audaciam, ſed projectam impudentiam

attendere: ſimul autem mendicitatem ejus, qvę per ſe turpis eſt, in tanto flagitio fœdisſimam perſpicietis. Exhauſtus legatus Moſcoviticus itineris ſumptibus erat: oſtendit pecunia nunc ſe non abundare: Lubecæ tamen ſperare ſe ad numos pervenire poſſe. E veſtigio is Praga Lubekam eum ſeqvitur. Ibi appellatis mercatoribus, Henrico Hilshorſtio, & Zacharia Mejero, qvi negotia in Moſcovia habebant, pecuniæ nonnihil Moſcus cóqvirit: hic digitis ad libros ſacros appoſitis, ſanctisſimum juramentum in verba illius præſtat: Cæſarem: Rusſiæ univerſæ monarchã more eorũ ſalutat; ſe qvæcunq. principi ejus per eum recepiſſet, ſumma cum fide exacturũ confirmat: hoc mille taleros aufert. Vellem corâm illum arguere poſſem. Nam cùm res ipſa atque indicia teſtium certisſima, qvemadmodum nunc etiam videri neceſſe eſt, argumenta vobis viderentur: tum non minus certè illius ipſius color, oculi, vultus, hæſitatio, eum vobis indicarent. Qvem enim, cùm de rebus mihi notisſimis loqvi me intelligeret, ſenſum ipſius futurum putatis? ſed qvoniam ſuperiori actione ut per procuratorem ſe defenderet, publico decreto permiſſum ei fuit, ipſe non adeſt: judicium ſuſcipiunt eius nomine, iidem qvi antea frater ac amici ipſius. Hi igitur, qvid habent, qvod horum negare posſint? Dicent, qvis author eius rei, qvis teſtis eſt?

Juramentu moreb

Is qvi

Is qvi omnium optimè id ſcire poteſt, qviqve non interfuit ei ſolùm, ſed etiam præfuit, interpres Germanus, qvo tum legatus Moſcoviticus uſus eſt. Homo eſt Derpatenſis, Vilhelmus Pepler. Is cùm in ſervitutem Moſcoviticam puer abductus fuiſſet, iámq. in ea qvodammodo inveteraſſet, idoneus Moſco viſus eſt, qvo in legationibus mittendis, tractandisqve negotiis ſuis pro interprete uteretur. omnium rerū is conſcius, actor ſeqveſter fuit. poſtqvam poſt liminio ad vetus imperium rediit, fidem hanc principi ac liberatori ſuo patriæqve ſuæ debere ſe exiſtimavit, ut qvæ tum contra fidem ei debitam acta à nonnullis eſſent, ad eum deferret. Teſtimonium ejus audiviſtis tanta religione dictum, ut nullum ne minimum qvidem cupiditatis veſtigium in eo appareat: tanta conſtantia, ut nihil temerè, nihil qvod non cohæreat, quod aliqva in re diſcrepet, reperiri poſsit. Dicit habuiſſe literas ad Chriſtophorum & Samuelē Sborovios à Moſco legatum ejus: accepiſſe eas Chriſtophorum, ſecretò cum illo tractaſſe, pecuniam popoſciſſe: dilatum Lubekam: juramentum qvale, qvādo, qvo in loco, qvibus præſentibus præſtitum ſit: mercatores, à qvibus pecunia accepta ſit, demonſtrat. Cùm hieme non navigaretur Chriſtophorum Sborovium Pragam interim ſe recepiſſe, ut ad iter ſe pararet, dicit: à legato autem Moſcovitico unum ex

mer-

mercatoribus iis, à qvo pecuniam acceperat, cum formula juramenti per continentem Livoniam ad magnum Moſcoviæ Ducem miſſum: qvi cùm duorum Rigenſium civium opera in Moſcoviam perveniſſet, rem vulgatam, civesqve eos mandato regio in vincula traditos fuiſſe, iisqve multis precibus civitatis Rigenſis tandem liberatos: nominat conſcium earundem rerum Ioannem Zulaff, qvi Gedanum poſtea domicilium tranſtulerit, tum autem cùm medicus M. Moſcoviæ Ducis eſſet, mercatorem Lubecenſem, qvi mutuam legatis pecuniam dederat, in ea conſeqvenda adjuverit. Præterea publicam ejus rei famam non Lubecæ modò ac Rigæ, verũ in aula etiam Cæſarea fuiſſe dicit: interrogatum ſe ea de re poſtqvàm cum altero legato in aulam rediiſſet, à Marſchalco Cæſareo Dietrichſteinio, poſtea ſecretò ad ipſum etiam Cæſarem introductum, qvæ ea de re ſciret, ei ſignificaſſe. Qvicqvam ne horum eſt, qvod temerè cuiquam dictum, aut dici ab eo potuiſſe videatur? Nam qvod addit, audiviſſe ſe, illũ poſtea eam ob cauſam ex aula Cæſaris remotum; qvàm gratioſus qvidem tum fuerit, ipſi omniũ optimè conſtat. Qvid hoc teſtimonio gravius, certius, plenius, eſſe poteſt? cui tamen nolo haberi fidem à vobis, niſi idem aliis rebus apertiſsimis comprobetur. Audiſtis in teſtimonio eum ponere, mercatorem, qvi pecu-

pecuniam legato Lubecæ dederat, civium qvorundam Rigenſium opera per continentem in Moſcoviam evaſiſſe,eosq.ob id rei capitalis reos in carcerem coniectos, vita à Rege poſtea donatos fuiſſe. Hujus rei qvis teſtis eſt? tota civitas Rigenſis: qvæ publicè teſtimonium de eo præbet. Præterea commodùm eſt hic Petrus Raſz ejuſdem civitatis tribunus. Hujus teſtimonium ea de re publicè recitari audiviſtis. Iam verò Ioannem Zulaff medicum tum magni Moſcovię Ducis mox ipſum audietis: interim rē non planiùs narrare poſſum, qvàm ab ipſo narratur. Anno M D. Lxxxi. inqvit, ſi rectè memini, menſe Ianuario Lubecenſis qvidam mercator Zacharias Meier,alio qvodam comite,per Churlandiam ad magnum Moſcovię Ducem venit:literasq.ei à Chriſtophoro Sborovio per Bochdanum Iacobi F. Bielſcium intimum Ducis conſiliariū tradidit.Eas,qvòd Germanicè ſcriptæ eſſent, Paulus Lanchau qvidam Boemus, bello Svedico in Livonia captus,in penetrali qvodā,in qvo pharmaca magni Ducis ſervabantur interpretatus fuit: uno atqve altero menſe elapſo appellatus, inqvit, à Meiero ſum, vt in pecunia ea conſeqvenda, ſe iuvarem: appellavi ejus nomine Bochdanum: reſpondit is mihi,ſi cauſam crediti hujus ſcires, non te interponeres; ſimulqve literis prolatis,iisq à ſummo complicatis, ſubſcriptionem tantùm mihi oſtendit:

vidi aſcriptum nomen Chriſtophori Sborovii: literas ſtatim depoſui: nec amplius tum qvicqvàm qvęſivi: ipſe tamen addidit, qvid iis contineretur, opportuniore tempore, pro noſtra familiaritate, ſe mihi aperturum. aliqvot diebus interiectis, cùm ex regia eum domum deducerem, ad fores eius idem mercator ſe illi obtulit: converſus tum ad me Bochdanus, moleſta mihi, inqvit, hominis hujus aſſiduitas eſt: facilè pecuniam conficerem, ſi in rem honeſtam erogata eſſet. Cùm admirãs cauſam qvæſiviſſem; hic inqvit, pecuniam iſtam, qvam repetit mille talerorũ Lubecæ Offanaſio prorogavit; qvam deinde Offanaſius Chriſtophoro Sborovio pro auctoramento præſtiti coram ipſo in verba noſtri Ducis juramenti dedit: quod qvidem ita à Chriſtophoro præſtitum eſt; vt ipſum huc ſe venturum, bellumqve principis noſtri auſpiciis Regi Poloniæ, patriæq. ſuæ facturũ ſe obſtrinxerit, literaſq. ea de re, qvarum ſubſcriptionẽ nuper tibi oſtendi ad magnum Ducẽ dedit, qvibus certã diem præfinit, intra qvam ſibi à magno Duce reſponderi velit; vt ſi intra eam reſponſum ſibi nõ ſit, ipſe juramento ſolutus ſit. Hoc igitur, inquit, iam ago, ut tempus omne hoc eximam; negotiumqve totũ inficiatur. cujus memoriam Duci renovarem, ſi de pecunia hac ipſum appellarem. Id autem eo conſilio facere ſe oſtendebat, qvòd ſi Chriſtophorus

rus in Moſcoviam veniſſet, ne omnis ſpes pacis tolleretur, vereretur; maximo cum periculo Moſcoviæ, qvę tàm bellicoſum hoſtem, principem tàm deſidem factum, interqve ancillarum, ac muliercularum greges ferè tum deliteſcentem haberet. Itaqve traxit rem in æſtatem, dum Offanaſius ipſe veniret; qvi demum Ducem pecuniam popoſcit; cùm tempus à Chriſtophoro conſtitutum lapſum jam eſſet: eamq; mercatori numeravit: ſponſorem enim ejus ipſe ſe conſtituerat, ſi à Duce ſoluta non eſſet. Hæc qvemadmodum à me narrantur, ab ipſo præſente ſacramento cõfirmari audietis. At qvo homine? primùm eo loco, ut qvæ geſta ſint, optimè ſcire potuerit, deinde ea fide, ut etiam immanisſimo Tyranno eam præſtiterit: Qvamùis minimè hic dubium mihi eſt, eò patronos rei ſe converſuros, ut eorum teſtimonia contra nobilẽ regni recipi non debere contendant. Hîc ego non dicam, huiuſmodi criminis apud omnes liberos populos, inqve omnibus rebuſp. non modò cuilibet de populo, ſed ſervis etiam ac mulieribus delationem ſemper datam fuiſſe: non Brutorum & Tarqviniorum conjurationem à vindice ſervo: non Catilinariam à Fuluia muliere detectam cõmemorabo: ſed noſtris moribus, ne à capitaliũ qvidem aliorum judiciorum, qvæ inter nobiles privatos exercentur, inqviſitionibus, plebeiorum jurato-

rum, qvi oculati teſtes fuerint, teſtimonia unqvam excluſa fuiſſe. Qvòd ſi in privatorum hominum iudiciis publicis, propterea, qvò veritas magis pateſiat, omnium etiam plebeiorum teſtimonia recipiuntur; qvantò magis in eo judicio, in qvo de rep. ipſa agitur, de ſalute fortuniſqve communibus omnium noſtrum, nullius indicium, qvo veritas criminis inveſtigari posſit, excludendum eſt? plebei dicuntur: at de iis rebus teſtantur, qvæ notisſimæ iis ſunt: qvas geſſerunt, adminiſtrârunt, qvibus interſuerunt: deinde ſunt homines ex urbana plebe honeſti: ſui deniqve juris; cùm moribus noſtris, qvemadmodum antè à me oſtenſum eſt, in aliis publicis judiciis, etiam ex ruſticana plebe, qvi præſens rei, de qva teſtimonia conqviruntur, adfuerit, juratus nemo rejiciatur. Accedit huc ut ipſa hæc teſtimonia, qvorum authoritatem convellere ſe poſſe exiſtiment, aliorum etiam teſtimoniis confirmentur, qvi omni exceptione majores ſint. Audiviſtis paulò antè Albertum Laſcum Palatinum Siradienſem eius loci Senatorem in hoc ipſo conſeſſu: publicè profeſſus eſt eadem, qvæ à ſuperioribus teſtibus de opera Moſco addicta, pecunia accepta, juramento præſtito, confirmata eſſent, ſe qvoqve cognoviſſe: tùm Moſcum ad ſe etiam literas, qvas ipſe tamen ad Regem detulerit, ac de qvibus paulò poſt dicam, dediſſe. Citatus huc fuit Petrus

trus Chojenſcius; ſtetit: qvid teſtatus ſit audiſtis. at qvis? inimicus fortasſis ipſius, qvi libenter reum teſtimonio lædat? nihil minus: familiarisſimus rei: qvi in iiſdem cùm rei patronis ſubſelliis conſiſtit. nihil ſua ſponte dicere eum exiſtimetis: nihil qvod nó exiſtimationis ſuæ cura dicere eum cogat: qvi aut abeſſe, aut nihil dicere maluiſſet, niſi eo loco homo natus legibus publicis ac judicii denuntiatione húc in locum pertractum ſe eſſe intelligeret, in qvo plus apud ſe famę atqve exiſtimationis ſuæ curam, qvàm necesſitudinem ullam valere debere judicaret. Hìc igitur interrogatus, num qvid de hiſce rebus ſibi có ſtaret; de literis à Moſco ad Chriſtophorum datis audiviſſe ſe dixit: vidiſſe eas ſe negauit; propterea qvòd tum inimicitię ſibi cum Chriſtophoro fuiſſent. Sed cùm pro eo more, qvo in aula Cæſarea ad legatos exteros omnes publicè adire ſolent, ipſe etiam cùm nonnullis ad legatum Moſci accesſiſſet; intellexiſſetqve legatus Polonum eum eſſe, de Chriſtophoro tum ex ſe qvæſiſſe, acerbèqve eum accuſaſſe, qvòd cùm operam ſuam principi ſuo addixiſſet, nihil iam eorum, qvæ illi recepiſſet, præſtaret: multaqve alia in eam ſententiam de Chriſtophoro locutú. Interrogatus de juramento, non conſtare ſibi de eo dixit: de pecunia, num qvam accepiſſet, ita ſe vulgo audiviſſe confirmauit. rem totam autem publicè ia-

in Poloniam rediiſſet, pro ſua familiæqve ſuæ dignitate confeſtim Regi eas reddidit, nihilqve cum hoſte communeſe habere velle teſtatus eſt. Eſt præſens clariſs. vir Euſtachius Volovicius Caſtellanus Vilnenſis, Litvaniæqve Cancellarius, per qvem eas reddidit. Vllam né aliam certiorem hac comprobationē deſiderare qviſqvam poteſt, qvæ luce meridiana clarior eſt? Dicunt teſtimonium ii, qvi rei de qva dicūt partim ſeqveſtri, partim conſcii, partim oculati teſtes fuerunt: alii qvi à legato ipſo Moſcovitico, à multis aliis commemorare eam audierint: tot deniqve ac tales viri. Dicit Oſcikus conſcius: dicit eo tēpore, quo non modò mentiri ei non expediebat, ſed vera dicere expediebat. comprobant Oſcici indiciū, literæ ab Laſco Palatino Siradienſe exhibitæ. Contra has res, qvámvis ſit audax ut eſt: appello enim nunc abſentem: qvid dicet? negabit né vera eſſe, qvæ dicuntur ab interprete? à tot deniqve aliis, tamqve dignis fide teſtibus. at qvis illi credet neganti? qvis non credet his juratis, ſeu rebus potiùs ipſis ab iis prolatis? qvis publicæ famæ per Germaniam ea de re ſparſæ fidem non adhibebit? Deinde Lubecæ né eo tempore ſe fuiſſe, cùm legatis Moſcicis ſecretò freqventerqve verſatum inficias ire poteſt? aut ullam idoneam cauſam tam ſubitę ac longinquę profectionis ſuæ adferre? in dubium vocabit Oſcici indici-

dicium ? refellent illum ii, qvi interfuerunt : Deinde nonné publicè indicium id innotuit ? res fuit notiſſima. Itaqve tum frater ipſe eorum Palatinus Cracovienſis proximè defunctus publica fama indicii iſtius Oſcikani permotus, literas ad Ioannem Samoſcium Cancellarium V. Illuſtr. miſit; qvibus an qvid de fratribus ſuis cognoviſſet ex eo qværebat. Dicent hic fortaſsis, non magnam tamen fidem indicio illi Cancellarium tum tribuiſſe. qvi cum eo ipſo tempore ad Lukos cum Rege proficiſceretur, aliisqve rebus occupatus eſſet, & ſimul quod nondum vel literæ Palatini Siradienſis prolatæ eſſent, vel qvicqvam aliud præterea haberet, indicium factum eſſe non negavit: levia qvædam eſſe reſpondit. cujus ſi recipiunt teſtimonium, qvî minùs apud eos vox ejus valere debet, qvàm literæ ? interrogent itaq. eũ nunc, qvid de facto ſentiat: teſtimonium illi denuncient: dicent inimico eum nunc in reum animo eſſe. Verùm fac qvemùis alium eas literas ſcripſiſſe : interroga cur tum nihil confirmarit, liqvere ſibi putet nũc ? Dicet conſtantiæ tum fuiſſe ſuæ, nihil incognitum pro cognito affirmare : nunc indicio Oſcici confirmato, re tota qvemadmodum geſta ſit, per interpretẽ, perq. tot alios teſtes patefacta, prudentiæ eſſe non dubitare. Petet fortaſsis etiam ignoſci ſibi, ſi qvamùis eum ſciret perditum : nondum tamen tantũ ſcelus ani-

lus animo concepiſſe ſibi perſvaſiſſet. Qvid enim flagitioſius cogitari poteſt? fidem ſuam addicit hoſti, cum quo nihil pacati ei eſſe debebat: prodit illam, qvæ eum genuit, procreavit, in qva lucem primo aſpexit: pecuniam accipit ab illo, contra qvem non modò facultates omnes, qvas jam amiſerat, ſed vita ipſa profundenda ei erat, contra patriam, qvæ omnibus bonis vita ipſa charior eſt. Hîc non puto jam tam amentem eum futurum, aut ſi ipſe ſit, qvenqvam tamen, qvi ei aſſentiatur fore, ſi id fortè dicat, ſe, cùm prima ætate omne patrimonium ſuum comediſſet, neqve qvicqvàm in patria reliqvum ſibi feciſſet, nulla re amplius obſtrictum ei fuiſſe, qvominùs non modò cum hoſte ejus, verùmetiã contra ipſam cõjurare potuerit. Cujus enim ſceleris eſſet, propter qvam omnes res fortunæq. noſtræ charæ nobis ſint, ejus amorẽ cum rebus ac poſſeſsionibus noſtris nos abjicere? Itaq. fortaſsis eam defenſionem ſibi parabit, non contra patriam hoſti operam ſuam ſe addixiſſe: habuiſſe eum eodem tempore plures hoſtes: bellum cum Sveco: cum Tartaris geſsiſſe: contra qvorum aliqvẽ merere ipſe voluerit. Præclara ſanè oratio etiamſi verè uti ea poſſet. Cum hoſte enim publico, ullam cuiqvam auxilii vel cõſilii ſocietatem eſſe poſſe, etiamſi contra patriam ea non præſtet, qvis unqvam conceſſerit? Etenim ſi optandum eſt, eum qvi

cùm bellum geras, qvàm plurimos hoſtes habere, qvominùs te oppugnare posſit, qvis eſt, qvi non videat, etiam ſi qvis in bello qvod contra patriam geritur, hoſti ejus non adſit, eodem tamen tempore al terum bellum ejus defendat, non minùs ferè qvàm ſi contra patriam ipſe arma ferat, eam impugnari: alio enim bello propulſando ſpatium hoſti ad bellum patriæ inferendum dat. Sed qvis eſt, cvi cúm à Rege eo tempore maximè Moſcus premeretur, con tra alium potiùs tam longinqvis è locis hominem, cujus nullum in re militari unqvam auditum nomen fuiſſét, amplisſimis premiis propoſitis à Moſco accerſitum fuiſſe veriſimile videatur? qvamùis hîc con jecturis locus non eſt. Ita accuratè enim à teſtibus, qvid actum, tractatum, geſtum ſit, explicatur, ut nulli dubitationi locus eſſe posſit. Non auxilium ille ullum, non vires, qvibus abundabat, ſibi adjungere: ſed domeſtici hoſtis conſilium, qvo conſilia Regis everteret, aſciſcere voluit. Aut id igitur dicet, nihil ſe hoſti præſtiturum fuiſſe eorum, qvæ illi promiſiſſet: ad argentum ſaltem emungendum juramentum iſtud comparatum fuiſſe: ſolere ſatis feliciter ſibi mendacia procedere: eadem ratione à Rege ipſo non contemnendam pecuniam ſe abſtuliſſe. Vtrum igitur, ſi iſta dicit, injurato, an cùm Moſco ſe obſtringeret jurato potiùs credere ei debemus? Aut

ſi nunc

ſi nunc etiam juramentum, ſe tum ita ſenſiſſe, præſtare paratus ſit; qvid enim non ſit? utri juramento, magis fidem adhibebimus? Sed qvid ego hæc diſputo; uſus eſt eadẽ defenſione Oſcikus: uteretur qvilibet, ſi perfidiæ ſimulatione perfidiæ pœnam evadere poſſet. Verùm his de rebus non modò qvibus verbis, qvamqve graviter dicere debeam non reperio, verùm paucioribus etiã dicendum nunc mihi puto, qvòd atrociùs multò crimen eius reſtat. Ad quod priuſqvàm accedam, non poſſum non miſerari fortunam publicam. Conjùrant inter ſe homines conditione nobiles, vita perditi, audacia effrenes, fortuna deſperati. Intentos iam gladios in iugulum Regis atqve reip. habent: monetur Rex: locus, tempus, conſilium qvod faciendæ cædis eius captũ ſit, ei indicatur; non credit. Hi interim præclari cives exiguum temporis ſpatium ad patrandam cædem Regis, evertendam remp. omnia permiſcenda ſibi præfiniunt. Qvanto tum intervallo à gravisſimo interitu reſpub. abfuit? Caſu in unius pueri manus literæ perveniunt, qvas hic ad fratrem Samuelẽ ſcripſerat, quibus nefaria iſta conſilia continentur: frater ad cædem faciendam evocatur: ratio, tempus conſtituitur: profugit cum illis ad Regem: literas tradit. Fecerunt eæ, ut iam non qvidem tutior, ſed cautior aliqvantò eſſet. Qvid enim? eò né periculũ

depulſum eſt? jam né effugit,ſicas eorum?jam né inſidias vitavit? imò volitavit ab eo tempore,& adhuc volitat ſtipatus, armis ſuccinctus: ſtudia miſericordiamqve hominum colligit: omnes tentavit rationes, qvò minùs judicium ſubiret, cauſaque cognoſceretur: qvæ certè poſtqvàm jam tandem in judicium adducta eſt: ſi ulli reliqvi ſunt, qvi de his tantis ſceleribus hactenus dubitârint, ii ut nunc ſaltem dubitare deſiſtant,ipſas ejus literas mecum recognoſcant; & cùm propriam confesſionem ejus & qvaſi vocem audierint, de qvo ne puer qvidem dubitandum ſibi exiſtimavit, Regis ac reipub. evertendę cõſilia inita eſſe, in eo an ipſi hærere posſint judicent. Primùm autem qvoniam ipſe nõ adeſt, ex eo qvi ſecundùm ipſum maximè agnoſcere eas posſit, fratre ejus V. CL. Caſtellano Gneſnenſi qværo, an qvas hîc literas ipſius profero, manum,ſignum ejus agnoſcat? Bene habet: Contrà qvod dicat, ſe non habere reſpondet. Qvod tamen ut facere poſſent, jam multò antè etiam reliqvum ſibi non fecerunt. Etenim cùm publicè de iis innotuiſſet,qvando unqvam in dubium eas vocârunt? Communicatæ fuerunt juſſu regio cum fratre hoc ipſorum,qvi præſens hîc eſt, Caſtellano Gneſnenſi, qvem honoris cauſa nomino. Appellauit hîc fratres reliqvos de iis, ad qvos pertinerent: non negârunt: mitigare eas conati ſunt: Ipſe

pſe qvomodo fratres eas interpretarentur, ad Regẽ retulit: nunqvam deniqve inficiando eas in dubium vocârunt, interpretando agnoverunt ſemper. Tum verò vt maximè in dubium eas vocare vellent, qvid dicerent? id opinor, non novum eſſe ut aliorum manus & ſigna alii effingant. recens ejus rei exemplũ in Dimidecio qvodam Leopoliẽſi extitiſſe, qvi qvòd Regis ipſius,ac ſecretariorum manus exprimere ſolitus fuerit,publicè ſupplicio affectus fuerit. qvòd in tanta diligentia, qvæ adhiberetur Cancellariæ accideret, idem privato contingere poſſe. Eſt verò id in uno atqve altero nomine, qvod Dimidecius is fecit, neqve novum neqve mirum: tam longam verò epiſtolam, tam diligenter, tam accuratè, de iis deniqve rebus, qvæ non niſi ab illis ſciri poſsint, ſcriptam ab alio ſub ejus nomine fingi, aut in ea alium ejus manum imitari potuiſſe, cui tandem perſvadere poſſent? Itaqve cùm de literis, an rei ſint, dubitari non poſsit, nec ipſi eas negent, eas ipſas nunc inſpiciamus. *Non dubito*, inquit, *te, ex ultimis literis meis utrunqve ſatis intellexiſſe: cùm qvo loco apud Regem ſimus, & qvid de eo polliceri nobis debeamus: tum qvæ de profectione iſta ad Niſovios ſententia mea ſit.* Ita certè eſt. nemo vel integris rebus, vel ſine magna cauſa aut odii, aut inimicitiarum ad tantum facinus deſcendit: vitam oportet eſſe vitiis flagitiisqve de-

 ditam:

ditam : egeſtate profligatam : animum injuriæ aliqva atrocitate exacerbatum, qvi hujuſmodi ſcelus ſuſcipiat. Hęc nolite à me qværere; qvámvis ſoleant, qværi hæc ab accuſatore : ſed non eſt,qvod à me expectetis. ipſe indicat. Cùm ſperaſſe ſe dicit, cupiditatem ſuã oſtendit, egere ſe fatetur : reſponſum ſpei non eſt : odii ac inimicitiarum, cauſam habere ſe putat. *Nunc ſimiliter in duobus his capitib. perſiſto, de illisq; brevibus & rem ipſam, & ſententiam perſcribam meam.* brevibus dicit ſe & rem & judicium ſuum illi ſignificaturum. Qvid ſi ego utrunqve longè dixero brevius? Res eſt,nõ reſponſum eſt cupiditati noſtræ à Rege : conſilium, interficiamus aut pellamus Regem : conjurationem ejus facinoris patrandi omniũ propinqvorum & neceſſariorũ noſtrorum faciamus: Niſovios qvò faciliùs perculſis ordinibus, ſi qvi nobis obſiſtere voluerint,regnum transferre poſsimus, in ſocietatem aſciſcamus : nobilitatem, ut fauentem inſtitutis noſtris habeamus, omni ratione nobis adjungamus. Qvid? nonné ſatis breviter ſummam omnem literarum harum complexus eis videor? *Diuturnum dolorem mihi afferet, me notas nullas communicatas tecum habere : multa enim eſſent, qvæ literis ſine periculo committi non poſſunt : ſed mea negligentia factum eſt; qvod cùm paratas eas haberem tibi non tradiderim.* Hîc qvidem vates etiam fuiſſe videtur : doliturum

liturum enim & dolere eum, qvòd conſilia ſua patefacta ſint, dubitari non poteſt. Sed qvæſo cùm apertè iſta ſcribat, quæ literis hiſce continentur, & nihilominùs alia plura ſupereſſe oſtendat, qvæ neſcio qvo metu retentus ſcribere non audeat; num poteſt negare ſe de ſingulari ac nefario ſcelere aliqvo cogitaſſe? Qvid enim ſatis dignum in eum vel dici, vel cogitari poteſt, ſi indigniora iis qvæ ſcribit, reſtant? Mitto ea, qvæ ad Regis necem pertinent: qvamùis ea ille qvidem omni ſtudio involvere conatus eſt, ſed ita tamen, ut cùm ab illo, ad qvem ſcribit intelligi voluerit, à nobis etiam ſatis intelligantur: verùm mitto iſta, quæ cùm perficere in animum induxerit, magis dolorem ei, qvòd perficere non potuerit, qvàm pudorem afferre poſſunt. De ſeipſo qvid ſcribit? nonné cupiditatem ſuam, animum flagitiis deditum, egeſtatem, turpitudinem planè nudat? nonné fœdisſimam circumſcriptionē fratris ſui filii ſine ullis involucris proponit? Hiſce qvi flagitioſiora animo agitet; à qvo tandem ſcelere alienum exiſtimabimus? Itaqve veſtræ prudentię eſt, cùm conſultò obſcurata qvædam videatis, naturam ſceleris eam eſſe, vt latebram qværat cogitare: ex iis qvæ patebunt, qvantam occultioris facinoris magnitudinem animo conceperit, æſtimare. *Die ipſa heſterna ultimum reſponſum à Cancellario nomine*

Regis

Regis accepi, qvid multis opus? planè nihil obtentū eſt. pergit inculcare cauſam odii ac ſuſcepti facinoris contra Regem. qvàm iuſta ſit mox videbimus. *Non ignotæ tibi ſunt æqviſsimæ, facillimæq; petitiones noſtræ. Marſchalcus nihil aliud petiit, qvàm ut qvatuor florenorum millia annua promiſſa domi manenti ſibi præſtarentur, in clariſsimorum ac graviſsimorum meritorum compenſationem.* æqvitatem nunc & facilitatē petitionum cognoſcite. Primùm Andreas Marſchalcus curiæ homo minimè cupidus petit qvatuor millia florenorum annua, ut ipſe dicit ſibi promiſſa, ut Rex, ſi in aulam veniret, munerique ſuo operam daret, non negata. Petit ea conditione, ne domo abeſſe cogatur: id eſt, ut à miniſterio ac moleſtia omni abſit. Non impetrat: non né iuſtisſima cauſa vobis videtur Regem tollendi? ſed pergit. *Tū ut iniuſta proſcriptione (nam & Cancellarius ita eam appellat) liberareris.* Non appellat Cancellarius proſcriptionem iniuſtam: ipſum gratia atqve opibus confiſum, in his qvàm in juris proceſſu ſpem ponere maluiſſe dixit. abſentemqve potiùs condemnari, qvàm præſentem jure contendere, & ad inqviſitionem provocare voluiſſe. Itaqve non tam judicium injuſtum: in qvo ſi qvid reprehendi posſit, illud eſt, qvod cùm in jure ſe frater eorum non ſtetiſſet, honore tamen privatus non ſit: ſed modum procedendi ejus à jure remotis-

motisſimum fuiſſe dicit. Verùm qvalis tandem petitio iſta eſt? Petit à Rege, ut rem judicatam reſcindat, damnatus reſtituatur: petit qvod non eſt in Regis poteſtate, ac ne ordinum qvidem, niſi partis alterius conſenſus accedat. Et nihilominùs promiſſum ſibi à Cancellario negare non poſſunt, operam ſe apud Thencinios & alios in qvorum tutela adverſarii ipſorum eſſent, daturum, vt res componi poſſet. ita tamen, ut quò pacatè interim frater eorum ſe contineret: præcipuè autem, ne in ſuam juriſdictionem veniret, aliqvoties eum moneret: qvòd minimè tantum contemptum reip. atqve magiſtratuum negligere poſſet. Nec verò promiſit ſolùm, ſed etiam præſtitit: diligenterqve ejus cauſa apud eos, apud qvos debebat, laboravit. Ad tam æqvam igitur petitionem eorum cùm tam benignè nihilominùs reſponſum ſit, qvis non dicat iuſtisſimam cauſam eos ſingularis odii atqve facinoris habuiſſe? *Meam omitto. qvid enim? nugæ.* ut ſcias qvi in ſua re ſit egentisſimus, in aliena eſſe inſolentem. *ſed cùm eam mihi oſtentando me captarent, qvò doloſo cantu ſuo tanqvam Sirenes in hos ſcopulos me inducerent, ut temerè domino meo deſerto hîc in eorum mendacibus promiſſis acqvieſcerem, dixi me Regi & patriæ pro viribus inſervire paratum eſſe; hoc tamē tempore dare me miniſteriis Regis non poſſum.* ſingularem verò hominem, ut

etiam maximis præmiis propoſitis Rex eum invitaret, qvo tanqvam ſentina aliqva rempub. levatam minimè certè moleſtè ferebat. ſed eſto: ingenium ipſius amabat: dexteritatem in auro avertendo cognoverat: fidem conſtantiamqve in præſtandis promiſsis perſpexerat: benevolentiam etiam erga ſe, cùm Cracoviam ingredientis interficiendi conſilium cœpiſſet, expertus fuerat. Hîc igitur hominis æqvitatem & pudorem cognoſcite. maximis injuriis affectus ab eo Rex erat. accedere nihilominùs ad eum auſus fuit. primùm hoc pudoris ipſius: aditum ad gratiam Regis ſibi qværit: patitur ſe vinci Rex: condonat injurias inimici precibus amicorum. Non eſt illi hoc ſatis: vix gratia Regis reſtituta illi erat; ſtipendium petit. qvo meritò, qva cauſa, qva fronte tandem? petit beneficium homo infenſiſsimus, quod non niſi benevolentiſsimis debetur: remunerationem ingratiſsimus, qvæ non niſi benemeritis. Qvid aliud hoc munere conſecutus Rex fuiſſet, qvàm ut ſua pecunia ipſe ſibi inimicos comparaſſet; docuisſetqve non meritis, ſed malefactis beneficia à ſe exprimere? ſpes nihilominùs illi fit, ſi bene de Rege mereri cœpiſſet, nulla in re clementiã Regis illi defuturam. Hæc iſte mendacia promiſſa illorum appellat. Qværo hîc qvorum? plures enim deſignat. Ita autem conſtitutum eos habere audio, hac defenſione uti,

ne uti, ut omnia maledicta, omnia conſilia, qvæ literis hiſce continentur non in Regis exiſtimationem atqve ſalutem, ſed in Cancellarii, quem commodis ſuis apud Regem obſtare exiſtimaſſet, intenta dicāt. Egregia qvidem defenſio: ſed de qva paulò pòſt alius agendi locus erit. Interim hoc qværo cùm in Cancellarium ſolùm invehatur, cur plures deſignet? Huic rei qvoqve ita occurrunt, ut ſi qvo loco hoc ſermonis genus effugere non poſsint, unà cum Cancellario Caſtellanum Gneſnenſem fratrem ipſius, in qvem eadem hac epiſtola acerbiſsimè infrà invehitur, appetitum fuiſſe dicant: nihil excogitari potuit acutiùs: qvid enim? de fratre né hic qveritur, aut ulla minima ſuſpicio ad fratrem pertinere hic poteſt? frater né ei promiſerat? ſpei eius non reſponderat? eum captarat? Deinde cùm infrà fratri maledicit, qvam injuriæ cauſam affert? eam certè qvòd Regi fidelis ſit: qvòd conſilia ſua contra Regis ſalutem conjungere cum iis nolit. Iam verò, ſi fratri eam ſolam ob cauſam, qvòd Regi fidus ſit, exitium machinatur, qvo tandem animo in Regem ipſum, ob cuius amicitiam fratrem odit, eſſe eum oportet? ſed non opus hîc eſt argumentis, cùm qvi iſti plures ſint, ſatis ipſe indicet. Dixit paulò antè reſponſum ſe per Cancellarium nomine Regis accepiſſe: qvid reſponſum ſit, narrat: captatum ſe ab iis fuiſſe promiſsis: ea men-

dacia vocat. Reſpondiſſe ſe ipſum, Regi ſervire paratum ſe eſſe,hoc tamen tempore miniſteriis ejus da re ſeſe non poſſe. Eſt né hîc aliquid in qvo qviſqvam hærere poſsit? nonné ſatis planè cum Regis nomine reſponſum ſibi à Cancellario dicit, utrumqve ſe captaſſe, utrumqve ſibi mentitum ipſe mentitur. Regẽ qvidem eò etiam magis, qvòd eum authorem reſponſi: Cancellarium miniſtrum tantum ipſe etiam agnoſcit. Iam de maledicto tali in principem nihil adhuc dicam: videri enim poteſt leviſsimum, cum aliis qvæ ſequuntur comparatum: & ipſe cùm honori ſibi ducat mentiri, ne convitium qvidem omninò feciſſe ſe exiſtimabit. *Cauſas habeo meas, caſq; iuſtas; inter qvas hanc vel præcipuam, qvòd qvandiu fratribus meis, pro graviſsimis eorum iniuriis, qvas à R. M. perferunt, non ſatisfit, ipſe etiam nihil hîc mihi polliceri poſſum, neqve animum ad eam rem adiicere; ſi enim in viridi hoc, qvid in arido?* De Rege, an de Cancellario, aut fratre ſuo Caſtellano Gneſnenſi qveri videtur? aut à qvo horum injuriam ſe accipere exiſtiment, ſatis né diſertè dicere? qvæ qvidem qvalis injuria ſit, jam antè perſpicere potuiſtis. Qvis autem animus ejus erga Regem fuerit, atqve adhuc ſit, ut nullum aliud ejus indicium extaret: tamen cũ homo profligatus, vita perdita, audacia ſingulari graviſsimis injuriis ſe ſuosqve ab eo affectos qveratur,

tur,nemo eſt qvi nõ videat.*Et qvàm ibi acriter adhuc in prima audientia & pro dignitate Sboroviana locutus fuerim, Marſchalcus ſuo tempore Deo fauente tibi renunciabit.* Ita verò ? acriter cum illo Rege locutũ ſe ſcribit,cujus ſi qvicqvam in eo pudoris fuiſſet,conſci entia fraudũ ac perfidię ſuæ ne vultum qvidem aſpicere potuiſſet. Conſiderate jam vobiſcum,qvæ nunc audacia in ſcelere ejus ſit,cujus in petitione cõtumacia tam inſignis fuit. Itaqve qvisqvam ne miretur eum, qvem cùm gratiam ejus ambiret, cùm ſperaret, cùm peteret, mordere non dubitarit, cùm infenſus inviſusq. eſſet, qvin promptiſsimè pungere vel ferire voluerit?*Ac ita qvidem nullam in partem animum meum declaravi: ſeqventibus deinceps diebus cùm ſperarẽ me in utriuſqve veſtrum negotiis fructum aliqvem reportaturum,tum demum à Rege petii,qvò hoc liberalitatis regiæ ſignum exteri in me agnoſcerent, ut penſionem eam annuam mihi conferret, qvam Spervainus, qui hiſce diebus Cracoviæ mortuus fuit, habuit. pro qva ego in qvoſcunqve uſus delectum militem me illi ad ducturum,& me ipſum promptiſsimè illi ſerviturum obtuli. ne hoc qvidem obtneri potuit.* A Rege petiiſſe, à Rege ſperaſſe, expectaſſe, ab illo non à Cancellario aut Caſtellano Gneſnenſe fruſtratum ſe qveritur. Qvàm iuſtè ſuprà oſtenſum eſt. *Qva de re ego heſterna die ex animo riſi coram Cancellario: levitatem eorũ*

& impudentiam carpendo, ut qvi multa mihi promittere non dubitarent, ut modò de mea conſtantia aliqvantum dimoveri me paterer; & ante Baal genua flecterem. Videtis né ſingularem hominis neqvitiam. Homo levisſimus & impudentisſimus levitatem & impudentiam eorum criminatur, qvi etiam in ipſius levitate & impudentia conſtantisſimi pudentisſimiq. fuerunt. Petit ſignum liberalitatis regiæ: qvo jure, qvo merito? neqve tamen ei negatur, cùm optimo jure negari deberet, qvod fuit verecundiæ: promittitur ea conditione, ſi ſerviat, qvod fuit conſtantiæ. Nam qvid qvæſo reſpõſum iis fuiſſet, qvi jam per cõplures annos fideliter ſerviunt, neqve tamen propter difficultates reipub. ſatis dignos fructus meritorum ſuorum adhuc reportârunt, ſi homo non modò nullis meritis, ſed etiam qvi inimico ſemper animo in Regem fuiſſet, beneficio hoc, qvod plures alii expetiiſſent, affectus fuiſſet? Iam verò cùm Regẽ cum idolo comparat, ſervitium ejus adorationem idoli vocat, ullis né verbis clariùs qvo loco Regem habeat, qvid in Regem moliatur, oſtendere potuit? ſatis né nõ pro Rege ſed pro Tyranno eũ ſe habere teſtatur? Qvod enim in rebus divinis eſt Deus, id in humanis Rex: qvod in illis idolum, id in his Tyrannus. Illud falſum cultum ſibi arrogat: hic alienum Imperium iniuſtè occupat. Itaqve qvemadmodum

idolum deteſtandum, fugiendum, omnibus modis tollendum eſt; ita & Tyrannum, tanquam peſtẽ generis humani omnes ferè gentes execrantur, oderũt, nullam ſe illi fidem debere, nullam juris ſocietatem ei ſecum eſſe, tandem non modò iuſtè, ſed piè etiam & ſanctè interfici eum poſſe exiſtimant. Hîc aliud né qvis reqvirat? Chriſtophorus Sborovius pro Tyranno Regem habet, cultum ejus idoli adorationem vocat: dubitandum né qviſqvam putat, qvid ſentiat, aut illum né dubitare, an ullam ei fidem debeat, qvẽ pro tyranno habeat: an potius non promptisſimè ſi posſit manus ei admovere, patriam liberare, ſeqve tam præclaro facinore jam ante multis aliis nobilitatum nobilitare debeat? Non dubito hîc qvoq. negaturos Regẽ Baal ab eo appellari. Hanc enim defenſionem, qvemadmodum oſtendi, contra omnia crimina ſua ſepoſitã, reconditamqve habent. Verũ non opus eſt hîc multis: verba enim ipſa huiuſmodi ſunt, ut neqve qvicqvam maledictis iis graviùs, neqve in qvem conjecta ſint apertiùs eſſe posſit. Etenim cùm multa ſibi promiſſa dicit, ut de ſua conſtãtia aliqvantum modo dimoveri ſe pateretur, & antè Baal genua flecteret, qva de re tum cum eo agebatur? opinor, ut Regi ſerviret, ſi beneficium expectaret. poteſt né igitur negare Regem à ſe Baal appellari: illius obſervantiam idoli adorationem vocari?
Non

Non enim hoc puto dicere eos poſſe actú,ut in Caſtellani Gneſnenſis, vel Cancellarii miniſterium ſe conferret: nam neqve ipſe ſe eò demittet, id ut dicat à ſe poſtulatum,nedum ut facturus fuerit: neqve Cancellarius expectare debuit, comitem, qvem apud exteros induere ſolet, nobili ſerviturum. Deinde de qvo cum eo actum ſit, nonné ſatis ipſe etiam indicat, cùm paratum ſe eſſe Regi ſervire, hoc autẽ tempore illi ſe addicere non poſſe à ſe reſponſum ſignificat? *Sed conſervavit me ab ea re hoc tempore Deus meus, & conſervabit, etiam ſi extrema inopia ſubeunda ſit.* Non dignum potiùs eum iudicavit Deus,ut ei principi honeſtè ſerviret, qvem ipſe inhoneſtisſimè deceperit,circumvenerit, fefellerit; cujus ſalutẽ hoſti prodere: cui ipſe deinde ſalutem eripere voluerit. At dubitare né poteſtis,qvo animo in principẽ ſuum ſit, qvi etiam honeſtisſimis conditionibus invitatus extremam tamen potiùs inopiam ſubire ſe malle dicit, qvàm principi ſuo ſervire? exiſtimatis eum pro Rege ab illo haberi? aut benevolo, ac fideli animo in eum principem qvenqvam eſſe poſſe, qvẽ etiam gratiam ſuam offerentẽ ita ſpernat, ut ad extremam egeſtatem redigi malle ſe dicat,qvàm illius miniſterio ſe addicere? Qvid honeſtius ſubjecto eſt nobili loco nato, qvàm patriæ ſuæ principi ſervire: circa illum eſſe,operam ſuam ei navare? Chriſtopho

ru

rus Sborovius extremam inopiam ſubire mavult. Iactabit hic fortasſis nobis, ſi diis placet, tolerantiam egeſtatis ſuam,continentiam,modeſtiam: dicet par vis ſe contentum qvietè, qvàm in magnis fortunis, iiſdémqve magnis moleſtiis ſplendide vivere malle: dicet non dedecori ſe ſibi egeſtatem ducere. qvæ vtinam, ut rectè, ita verè ab illo dici poſſent. minimè enim per ſe inhoneſta res eſt egeſtas non inhoneſtis rebus conflata: florentisſimæ ferè eæ reſpub. fuerunt, in qvibus qvàm maximus qvamqve diutisſimè paupertati, ac parſimoniæ honor fuit. ſed ea turpis egeſtas eſt, qvæ per luxum atqve dedecus re paterna profligata contracta eſt: hæc eadem rebuſp. periculoſisſima ſemper extitit: ab hac avaritia, ab hac omnes malæ cupiditates in perniciemreipub.erumpunt. hæc niſi illi eſſet, ad tanta flagitia deſcenderet? Qvis enim homo hæc dicit? nonné is, qvi cú patrimonio, qvod honeſtum ſibi à patre, bono viro ac frugi patrefamiliâs,bonoqve ſenatore relictũ fuerat, inertia atqve luxuria perdito ad egeſtatem redactus fuiſſet,nihil unqvam egeſtate turpiùs judicavit? nonné is, qvi pecunia qvam à Rege acceperat, averſa, omne officii ac fidei jus in ea pervertit? nonné is qvi exiguo argento ab hoſte accepto, qvantum in illo fuit, patriam omniaq. qvæ charisſima habere debebat, ei prodidit? Qvi igitur tánta flagitia nón ma

N gna

gna pecunia admittere non dubitauit; is cùm honeſtis etiam conditionibus à principe ſuo ſibi oblatis extremam tamen inopiam præferat, qvid de principe ſuo ſentiat, qvomodoq́. erga eum animatus ſit, nō né ſatis manifeſtè indicat? *Hæc nunc de me habetis. Gneſnenſis qvicqvid petiit impetravit, & ita qvidem nobis illicibus uſus medium ungvem nunc nobis oſtendit. de qvo non dubitamus te fratrem noſtrum chariſſimum idem qvod & nos, qvi pro anathemate illum habemus, exiſtimaturum, & nihil cum eo commune habiturum: qvemadmodum aliter nominare eum non poſſumus, qvam uti Rex & Cancellarius eum vocant, iſtum Sborovium eſſe ſuum: cum ſolum bonum: alios nihil: paleas.* Hîc qvidem minimè obſcurè in Caſtellanum Gneſnenſem invehitur: faceret idem aliis locis, ſi iis qvoqve in ipſum incurreret. Hîc autem qvomodo facit? ut nimirum cauſam inimicitiarum ſimul oſten dat. Iam verò an hoſtili animo in Regem ſe eſſe negare poteſt, qvi ſummi criminis loco fratri objicit, qvòd Regis obſervans ſit? qvi alterum ob id quòd Regis ſit vituperat, non ille ſe Regis minimè eſſe pro fitetur? qvi alterum qvòd cum Rege ſe conjungat, incuſat, nonné manifeſtè à Rege ſe ſejungit? ſi nihil aliud totis hiſce literis ageret, nonné ſatis infeſtum animum ſuum nefariaq́. conſilia contra Regem proderet? Qvid enim? cùm fratri quòd amicus Regi ſit

vitio

vitio dat, nonné ſe hoſtem Regis oſtendit? cùm ejus in Regem fidem illi objicit, nonné ſuam perfidiam indicat? Qvid enim aliud dicit? anathema illum vocat, qvòd ſalvum Regem velit: ſe ergo pium neceſſe ſtatuat, ſi Regem interficeret: illius ſocietatem vitandam ſcribit, propterea qvòd cum Rege conſilia conjungat: ipſe ergo qvomodo non contra Regem conſilia init? culpat illum qvòd Regi cupiat: ipſe ergo perditum vult. qvid dicet adhæc? nihil certè habet: Eſt enim præſto, qvi propriis ejus verbis, qvibus paulò pòſt utitur eum refutet, referatqve ei illud. qvi non congregat diſpergit. *Et fœtor minimè intelligit, non illius iſta dignitati tribui, ſed qvòd expediat illis ita nos diſiungere. de qvo multa ſcribenda eſſent.* Primùm qværo cur illis expediat eos disjungere? aut cur ipſe de iſta disjunctione qværendum ſibi putet? Nonné cùm disjungere ſe expedire illis dicit, adverſarios ſe illis profitetur? cùm ſegregari ſe dolet, quòd perficere, qvæ cogitarint non potuerint, qveritur? nam neqve disjungere ferè qvisqvam, niſi qvos adverſarios habeat, ſolet: neqve divulſos ſe ulli à qvopiam qveri, niſi contra qvem opes ſuas imminutas doleant. Deinde ſi disjunctione hac eorum opus illis fuit, cur non ipſum potiùs qvàm Gneſnenſem ſibi aſciverint? Qvid igitur aliud agit,

qvàm ut hujus fidem electam, perfidiam ſuam rejectam ab illis oſtendat? *ſed Deus patrum noſtrorum illos, & iſtum Iudam nullum fructum ex ea re referre patietur.* Pergit eadem dicendo:fratrem proditorem vocat, qvòd in fide Regis ſit. Aliud nè hoc eſt,qvàm & ſe hoſtem Regis profiteri, & conſiliorum contra eum ſuſceptorum conſcientiam agnoſcere? Eqvidem neqve prodi nos putamus, niſi inimicis; neqve alia conſilia noſtra, niſi qvibus,ſi priuſqvàm à nobis perficiantur, inimicis cognita ſint, nocere iis non poſſimus.verùm jam ad rem ipſam ſine ullis ambagibus ab eo enunciatam veniamus. *Cogitabimus tamen de nobis qvamúis pauci ſimus: nihilominùs Deo favente ad aliqvod bonũ aditũ ſibi ternarius iſte patefaciet.Itaqve ſcias velim, modò pauca obſtacula removeantur. (etenim tempori ſervire neceſſe eſt) id faciendum nobis eſſe, ut cognitos invicem nos habeamus in tota progenie noſtra, ſciamúsque qvi noſter ſit, qvi non: qvi diſpergat, qvi colligat: confœderatio inde inſtituenda erit, ut ex coniunctis ſanguine, coniunctiſſimi & fortutuna & voluntatibus ſimus.* En rem ipſam nullis integumentis involutam. Confœderationem faciendam dicit: contra qvem? at dubium né id cuiquam eſt? de qvo qveritur? à qvo injurias perferre ſe dicit? qvem tota hac oratione perpetuò nominat?

nat? contra qvos deniqve confœderatione nos munimus? contra potentiores credo: contra eos, à qvibus læſos nos putamus: qvibus viciſsim nocere nos volumus. Andreas inqvit, Samuel, & Chriſtophorus Sborovii; hi enim ſunt ternarius iſte: ad aliqvod bonum adhuc aditum ſibi patefacient. vivo ac florente Rege non poſſunt: docuit enim nihil à Rege polliceri eos ſibi poſſe: ſummas injurias ſe ab eo perferre: paulò pôſt etiam claſsicum ceciniſſe Regem cum Cancellario dicit, ad evertendam do mum eorum: neceſſe eſt igitur mortuo vel pulſo Re ge. Eò, qva ratione pervenire posſint, oſtendit: cognoſcendos inqvit eſſe omnes, qvi affinitatibus, propinqvitatibus, necesſitudinibus ſecũ conjuncti ſint: qvi eorum ſint, qvi non: id eſt, qvi in Regis fide ſint, qvi in ternarii hujus: qvi diſpergant: qvi colligant: qvi nimirum Regem ſalvum velint, qvi cum illis contra Regem conſpirent. Ex his confœderationem faciendam docet. qvam ad rem, qvem in uſum? at qværendum né id ab iis, qvi Rege ſalvo, ſe ſalvos eſſe non poſſe iudicent? Qvicqvam né aliud tota hac epiſtola agit, qvàm nihil iam à Rege polliceri eos ſibi debere: Regem omnibus fortunis eos evertere cõſtitutum habere? Qvid ego nunc de gra uisſimo hoc crimine dicam? Habemus confœderationes publicas, qvæ unicum ferè fundamentũ ſunt

 liber-

libertatis atqve legũ publicarum. Videte nunc qvid inter majorum noſtrorum æqvitatem, & horum ſcelus interſit: inter ſapientiam eorum, & horum furorem. majores noſtri qvò firmioribus præſidiis libertatem munirent, ſanctiſſimo fœdere mutuò ſeſe obſtrinxerunt: hi qvò majoribus opibus eã oppugnent, nefariè conſpirare inter ſe cogitant: illi ad tuendas leges atqve jura publica, hi ad omnia jura evertenda: illi pro ſalute reipub. ac qvem creârint Regis, hi in Regis ac reipub, perniciem. Itaqve confœderationibus publicis privatæ hujuſmodi conſpirationes omnes ita tolluntur, ut qvi eas fecerint, publici hoſtes omnium iudicentur. Si enim meritò omniũ hoſtes judicandi ſunt, qvi ſua conſilia à publicis ſejungunt, qvantò magis illi, qvi contra ſummum magiſtratum ac rempub. privatim conſpirent? Ad hoc igitur crimen tam manifeſtum tamqve ſingulare eludẽdum aſtutè qviddam excogitârunt: peregrinationẽ ſe communi conſilio in Melitam Inſulã ſuſcipere decreviſſe dicunt: ejus gratia confœderationem hanc ſe inſtituiſſe. Hoc uno certè modo improbitas ſeipſam ſæpè prodit, qvòd vel non tantum audet, qvãtum excogitat, vel qvòd audacter, atqve confidenter ſuſcepit, in eo à malitiæ conſiliis deſeritur. Qvid enim? profectionis gratia fœdus ſe inter ſe ſanxiſſe dicunt: nonné ſatiùs erat nihil dicere, qvàm qvòd

cùm

cùm ab omnibus rideretur, apertam confeſſionem criminis haberet? Tot & patrum & noſtris temporibus, à claris viris ſuſceptæ fuerunt. doceant ullam fœdere ſancitam fuiſſe. voluntatis iſta ſunt, non neceſſitatis: conſilii,non conſpirationis. deinde id qvidem eos negare non poſſe arbitror, de vlciſcendo Rege hîc eum agere, qvi nimirum tam inimicus, tã gravis, tam iniqvus iis ſit. profectio hæc, qvid mali Regi allatura erat? qvid ipſis autem commodi? ad qvod bonum, qvod certè video eum dicere, aditum eis patefactura? cognatione autem eorum tota, ad eam qvid opus? an ut ſeceſſionem facerent? remp. atqve Regem tanto hominum numero privarent? ſubducerent ſe tẽporibus? ſecederent aliqvò? Qvas ſedes Melitæ habituri erant, in qvas tanqvám Coloniam ſuos ducerent? Deindè eò né cùm tot alii tum præſertim frater ipſius Marſchalcus cum coniuge, cum liberis profecturus erat? ipſe autem hac ipſa epiſtola nonné de matrimonio,qvod nunc nactus eſt, ágitare ſe oſtendit? qvid, vnà né igitur,uxorem ducturus erat? an illhic, qvo iſtud tam ſanctum iter ſuſcipere cogitabat,mulieres nullæ erant? ſtudiis autẽ nobilitatis, qvæ concilianda ſibi ante omnia infrà ſcribit, qvid opus illis ad profectionem fuerat? Iam verò ſi ad peregrinationem conſpiratio hæc pertinebat, cur non apertè de ea ſcribebat? cùm nimirũ de tot

detot aliis flagitiis clarè ſcribat ? cur hanc rem tegendam putabat, ſi qvemadmodum nunc prolata, nihil ſceleris habitura fuerat? qvamqve iam profiteri publicè nõ dubitent,cur ad eam explicandam notas deſiderare ſe oſtendit ? Verúm intelligunt opinor, & ſe iam dudum rideri, qvi iſta confingant, & me qvi convincere iſta coner.Etenim videte qvid eis dem : nunc ſaltem hoc ipſo puncto temporis doceant,qvorſum iſta profectio inſtituta fuerit : qvo tem pore : ad qvod tempus : qvibus cum hominibus : qvid iis commodi allatura : qvid incommodi Regi : cur tot homines in eam recipiendi fuerint : cur univerſa familia in eam evocanda : cur conjuratione fir manda : qvomodo eodem tempore, & de profectione, & uxore ducenda cogitârit : cur de ea non expreſſerit: cur tam timidè & tectè attigerit: qvam ob cauſam ſtudia nobilitatis tam vehementer ſibi ad eam neceſſaria eſſe infrà ſcribat ?qvæ certè omnia do cenda ſibi vident. Ad qvæ ſi ſingula non dicam aptè reſponderint, ſed aliqvid qvod reſpondeant, habebunt, qvod in alia cauſa eis non darem, niſi facultas cauſæ permitteret. in hac dabo, vt hoc crimen confœderationis iis remittam; cùm præſertim non pau ca ſint alia haud leviora in hac ipſa epiſtola, qvæ ne colore qvidem vllo evitari poſſe video. ſed nihil cer tè habent. & dubitabunt, an ab aliis condemnandus

dus ſit, cùm propria conſcientia & ſilentio ſuo condemnetur? *In hoc igitur ſtatu res noſtræ apud Regem iſtum ſunt, ſi hoc nomine dignus eſt.* Eat nunc,& non Regem ſed Cancellarium aut Caſtellanum Gneſnēſem à ſe appetitos alicui perſvadeat. atrox & impium impuriſsimi hominis in principem ſuum maledictum. Non dico qvàm contemptim; apud Regem iſtum inqvit: ſatis ut oſtendat, pro ſuo Rege illum, ſe non habere. At Regis nomine qvā ob cauſam dignus ei non videtur? ſi nullū aliud crimen tota hac epiſtola, qvàm hoc tam impudentium & impiorum convitiorum demonſtraretur: ſi nulla conſilia, nullæ machinationes, nullæ molitiones contra ſalutem principis ſuſceptæ, nullæ inſidiæ vitæ ejus ſtructæ oſtenderentur, qviſqvàm né ſit,qvi hoc ſolo tam gravi crimine abſolvendum eum putet? qvi non graviſſimi majeſtatis criminis reum judicet? Qvi enim minus princeps exiſtimationem læſam perſeqvi debeat, qvàm privatus? privati honor,fama, nomen ſi ab aliqvo violetur, injuriæ perſequendæ actio ei prodita eſt,aut manu etiam vindicandæ poteſtas datur: debet enim bonis viris non minor dignitatis atq. exiſtimationis ſuæ, qvàm vitæ cura eſſe. Ita né igitur? privati exiſtimationi conſulitur, principis dignitas impunè violari poteſt? Non eſt ita. Qvod enim in privato honor eſt, in principe majeſtas eſt: in priva-

to læſi honoris crimen injuria eſt, in principe majeſtatis. qvæ tamen non ita à me dicta exiſtimari velim,ut qvæcũqve contra voluntatem principis ab aliqvo dicantur, in crimen hoc vocanda putem. Neqve is Rex eſt, neqve hic populus, qvi vel cupiat id, vel patiatur : libera dicta impunita eſſe debent, con tumelioſa puniri : ſententiæ de repub. liberæ eſſe de bent : convitia pænis coërceri : illa punire tyrannorum eſt: hæc etiam liberrimorum populorum.qvam in rem qvid opus eſt externis exemplis me uti, cùm legibus poſſim uti noſtris?Scitis uſu traditas eſſe for mulas libellorum evocatoriorum, qvibus qvæqve crimina in judicium vocanda ſint, qvæ in libris etiã legum publicarum extant. Eſt inter eas una hujus criminis majeſtatis propria. Qvæ igitur iſta in crimẽ vocat ? citaris inqvit, qvia tu contra dignitatem noſtram dixiſti: nam qvod ſeqvitur,abominatur etiam, ſeu qvod abſit,machinatus es. aliam né ullam autho ritatem, in re præſertim, qvam etiam ſine authoritate ratio confirmat, deſiderare poſſumus ? Citari ob dictum jubet : ſi citari, ergo & cognoſci : ſi cognoſci, & condemnari. Alterius fortasſis generis dicta in judicium iſto libello vocari dicent : ego etſi indefinitè de dicto ſcriptum videam, tamẽ id eis do, ut doceant ulla hiſce maledictis graviora eſſe poſſe. Mendacem vocat, indignum nomine regio vocat:

neqvam & ſceleratum : tyrannum : ſatrapam vocat. Poteſt né qvicqvam omnibus his eſſe graviùs, qvorum nullum eſt, qvod non ſit gravisſimum? Itaq. ut concludamus, ob maledictum in principẽ leges noſtræ in judicium vocari iubent : vocavi : non unum, ſed multa : non leve aliqvod ſed graviſsima, literis, manu, ſigno ipſius ſcripta, expreſſa, conteſtata in judicio exhibeo. qvid habent dicere, qvo pænas læſæ principis ac reip. majeſtatis effugiat? Et tamen inter maledicta hujuſmodi in principem, & privatum aliqvem, hoc intereſt, qvod convitium in privatum collatum mera injuria eſt, in principem cum maledicto facinus ſimul conjungitur : privati honor illo tamen incolumi lædi poteſt, principis dignitate violanda ſalutẽ ſimul ejus lædi neceſſe eſt. Nam qvid? clementiam nempe hîc Regis implorant: ad aliorũqve principum exempla confugiunt, qvi præclarum ſibi judicarint, cùm bene feciſſent, male audire, & cùm aliâs omne jus Cæſareum deteſtentur, ut me etiam qvi qvàm longisſimè ab eo abſum, qvaſi eo utar, accuſare non dubitent, hîc tamen clarisſimam illam Theodoſii Arcadii, & Honorii legem de maledictis in principem ob oculos ei proponunt. Eſt verò ea non notisſima ſolùm, verùm ſapientisſimè etiam ſcripta. Ita enim ſcripta eſt. Si qvis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus improbo, petulantiq. ma

ledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulẽtus obtrectator temporum noſtrorum fuerit; eum pænæ nolumus ſubjugari, neq. durum aliqvid nec aſperum volumus ſuſtinere: qvoniam ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione dignisſimum: ſi ab injuria remittendum. Qvorum utinam hîc ſimile aliqvid eſſet. non minus certè magni animi in hujuſmodi vel negligendis vel condonandis Regem, qvàm laudatisſimos Imperatores, qvi ſapientisſimam eam legẽ ſcripſerunt, experiretur: delectaretur fortasſis etiam ingenio ejus, aut certè miſeraretur: Iam autem cùm hujuſmodi maledictis eum laceret, qvæ non pravum ſed infeſtum animum ejus oſtendant, poteſt né à dictis hujuſmodi conſilium atq. facinus ſejungi? cùm dicat præſertim eadem infenſus, iratus, ſingulari deinde homo audacia. Non minus ſapienter enim iidẽ Imperatores in fine legis hoc qvoqve adjecerũt. Vnde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur: ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrum prætermitti an exqviri debeant cenſeamus. Qvid enim? pro tyranno eum habet? qvid reſtat, niſi ut eum tollat? Eſt hoc jus gentium, eſt omnium liberorum populorum, omnium hominum. indignum eum nomine regio putat? ergo injuſtè imperat: nã utiqve non privatus eſt: nec ſi velit eſſe posſit; cùm privatis

privatis qvidem ad regnum aditus pateat, Regibus ad privatam vitã ſine ſalutis jactura reditus non cõcedatur. Itaqve non eſt qvod miremini, ea conſilia contra ſalutem Regis ab illo ſuſcepta, qvæ ſuſcepta ab illo partim iam intelligitis, partim ipſe pòſt indicat, cùm pro tyranno eum habeat, dignũ regio nomine nõ habeat. Qvod tamen cùm facit nonvidet ſe nõ modò Regem apertè, ſed fortasſis qvod minimè videri vult, ut nobilitatem tantò faventiorem conatibus ſuis habeat, univerſam remp. qvámvis hujus ſalus aliâs Regis etiam ſalute cõtinetur, impugnare. Qvo enim jure Rex eſt? nullo alio niſi qvòd electus, vocatus, inauguratus à regni ordinibus eſt: horum qvodãmodo manibus in ſolio regio collocatus. Ordines igitur, id eſt reſpub. non modò nomine regio verùm amplisſimo regno dignum eum iudicant: Chriſtophorus Sborovius non iudicat: ordines ſanctisſimo decreto regnum ei decreverunt: ipſe impia voce abrogat. Et non ſentit homo amentisſimus, ſi furore inſanus ullius rei ſenſum reliqvum habet, ſe hac ipſa re iam publicum omnium hoſtem iudicatũ eſſe, omniumq. commune odium incurriſſe, ſacrum, inteſtabilem eſſe. Cùm enim hujuſmodi decretum de electione Regis ab ordinibus factum ſit, idemq. cõfœderatione ſancitum, ut qvi contra illam qvid facturus eſſet, publicus omnium hoſtis haberetur, ac

ad eum tollendum, qvilibet pro ſe operã daret, ipſe cùm qvem illi eo decreto Regem iuſſerunt, ſuis literis non dignum nomine regio judicat, nonné cervicibus ſuis decreti ejus aciem impendere intelligit? verùm reliqva facinora ejus cognoſcamus. *Iam claſſicum cecinerunt, ad ſuffocandam & in nihilum redigendam domum noſtram. unde fit, ut omnes cornices nobis obcrocitent; qvamùis à tergo, & non in faciem: crocitant tamen ubi accipitrem aſpexerint.* Non illi aut qviſqvam perditum eum cupit: ipſius libidines, ipſius mali mores, vita perdita, luxuries profligata, audacia ad omne ſcelus projecta eum perdunt: hi acerrimi ejus hoſtes ſunt: domi & in viſceribus propriam peſtem reconditam habet: hæc in eos ſcopulos eum induxerunt: verùm qvantùm à voluntate tollendi Regis abeſſe eum putatis, qvi ad ſe domumqve ſuam radicitus tollendam omni ſtudio Regem incumbere iactitet? *Qvid hic faciendum? nihilominus id faciendum, ut ita nos geramus, uti viros decet. Tu ne cede malis ſed contrà audentior ito.* Audaciam ſuam ipſe indicat, ſine qva nullum magnũ facinus perpetratur. *Qvibus verò modis, & qvàm cõvenientibus rebus noſtris proſpiciamus, hoc tempore literis non committo. ſed experietur neqvam & ſceleratus homo ſe iniqviſſimo tempore innocentes, & honeſtos homines canino dente ſuo impetiviſſe.* Rem dicit: ratio-

nem

nem ejus perficiendæ literis ſe cõmittere negat. Regem ſe interfecturum minatur; qvid enim aliud iſtæ minæ ſibi volunt? cædis faciendę rationem non per literas ſe cum illo communicaturum, ſed opera ejus coràm uſurum oſtendit: eamqve ob cauſam, ut acceleret, paulò pòſt eum hortatur. At poteſt né cuiqvam eſſe dubium, qvid in Regem machinatus ſit? poteſt né ab homine audaciſſimo aliud expectari, vel principi ſine ejus, qvi incommodare ei vult periculo præterqvàm extremum periculum creari? cujus tamen non modò ſalus atqve dignitas ſed commoda etiam ſine ſumma impietate à ſubjecto lædi nõ poſſunt. Nondum hîc dicam de teſtibus, qvos poſtea proferam, qvi homines ab illis ſolicitatos, ut Regem interficerent: qvi illum ipſum id conatum planum facient: nondum fratris ejus, ad qvem hæ literæ ſcriptæ ſunt, faſſione utar, qvi idem conſilium in venatione Regis interficiendi cepiſſe illum confirmavit: cùm re ipſa, atqve ipſius verbis, convincere eum poſſim. Qvid enim vultis aliud? inimicum ſe Regis profitetur, domus ſuæ evertendæ conſilium à Rege captum iactat, maximas injurias ejus fratres ſuos pati qveritur: contra has res ab audacia conſilium petendum docet: facturum ſe ut experiatur Rex iniqviſſimo tempore ſe ab eo laceſſitos, recipit. Qva tandem re id facturus erat? qvaſi

verò

faciat, inſignia gentis Battoreæ lupinos dentes cum ſuis inſignibus accipitre nimirum comparare: ſed de his,qvod cuiqve viſum fuerit, ſuſpicetur. ipſe certè ordo, ac ſeries verborum,ad qvem ea pertineant, ſatis indicat. Dixit paulò antè,in hoc igitur ſtatu res noſtræ apud Regem iſtum ſunt, ſi hoc nomine dignus eſt: non tamen ob id animis ſibi ſuccumbendum ſubjungit: contrà niteńdum eſſe: qvibus modis res ſuas ſtabilire posſint, literis nunc ſe non credere ſcribit, experturum tamen eum iniqvisſimo tēpore ſe ab illo appetitos. Horum qvid in Cancellarium vel Caſtellanum Gneſnenſem convenire poteſt, qvid non in Regem? qvid non cum ſuperioribus omnibus qverelis, qvas de Rege inſtituit? aut qvis tandem iſte ſaltus orationis,ut cùm in proximis verbis de Rege perpetuò qveratur, in Regem invehatur, mox qvaſi aliud agens Caſtellano Gneſnenſi aut Cancellario perniciem ſe machinari oſtendat? qvem ſicubi accuſandum putabat, cum Rege ſemper conjungebat,ſine illo ſæpisſimè Regem. Sed nolo pluribus agere de re perſpicua, cùm id mihi magis verendum ſit, ne rem per ſe apertam, ego argumentando dubiam facere videar, qvàm qvenqvam fore qvi tam illuſtribus in rebus hærendum putet.
Ac inter alia ſolatia noſtra illud non poſtremum pono, qvòd eadem ex cauſa, qva & nos,univerſa reſpub. in-

 iuriam

iuriam patiatur: commune hoc malum eſt nobiſcum omnibus bonis: multi ſunt per univerſum regnum; multi in aula, ad extremum ex miniſtris cubiculi apud iſtos ſatrapas, qvi deflent contemptum, & iniuriam eorum, qvi à tot ſeculis utiliter reipub. inſervierunt, qvíqve illi vita & facultatibus, qvòad illæ ſuppetierunt, non defuerunt. dum nos bonos cuſtodes reipub. publicam culinam egentium virorum, eodémqve modo alios homines honeſtiſſimos, ſi qvi pariter, ut & nos, ſint abiecti, appellare ſoliti fuerunt, & adbuc appellent: bi inqvam, omnes facilè ſuo tempore cognoſcent, (neqve verò multum ab eo abeſt ut cognoſcant) æqvè de ſe atqve de nobis agi: De aliis rebus qvas ſibi hic ſumit, non eſt neceſſe me nunc agere. Ipſam autem orationem hanc ejus, nonné vobis de Catilinæ oratione alterius non minùs nefarii Catilinæ expreſſam audire videmini? hæc enim, ferè ejus verba ad cõjuratos ſunt. Cæterũ mihi in dies magis animus accenditur, cùm conſidero, qvæ conditio vitæ futura ſit, niſi noſmetipſos vindicamus in libertatem. nam poſtqvàm reſp. in paucorum potentium jus atqve ditionẽ conceſsit, ſemper illis Reges, tetrarchæ vectigales eſſe: populi, nationes, ſtipendia pendere: cæteri omnes ſtrenui, boni, nobiles, atqve ignobiles vulgus fuimus, ſine gratia, ſine authoritate iis obnoxii, qvibus ſi reſpub. valeret, formidini eſſemus. Itaqve omnis gratia, poten-

tia, honos, divitiæ apud illos ſunt: nobis reliqverunt pericula, repulſas, judicia, egeſtatem. qvæ qvouſqve tandem patiemini fortiſsimi viri? Nonné non modo ſenſum utriuſqve eundem, verùm verba qvodammodo eadem agnoſcitis? Ita certè eſt: non conſilia ſed tempora mutantur: conatus perditorum civium iidem omnibus temporibus in repub. fuerunt. ſemper qvi ſalva repub. ipſi ſalvi eſſe non poſſent, ad qvietas res turbandas bonorum invidia, perditorum auxiliis abuſi ſunt. Itaq. idem Catilina in epiſtola ad Catulum: injuriis contumeliisq. concitatus, inqvit, qvòd fructu laboris, induſtriæqve meæ privatus ſtatú dignitatis non obtinebam, publicam miſerorum cauſam pro mea cōſvetudine ſuſcepi. & paulò pòſt. qvòd non dignos homines honore, honeſtatos videbam. Hic verò cùm hujuſmodi dicit & facit, non né qvi exitus ſe maneant, jam videt, cùm qvorum dicta atqve facta imitetur intelligat? *Et in perniciem Deo favente horum Tyrannorum, nunc pane eorum veſcuntur, cóqve ſaginantur. ita ut non una ratio contra inſultus hoſce nobis ſuppeditatum ſit, de qvibus nunc non eſt neceſſe ſcribere.* ſatis né nunc explicat, qvòd antè dixit, experturum Regem, iniqviſsimo tempore laceſſitos ſe ab illo eſſe? non enim jam de profectione aliqva, aut ſeceſsione cogitat; ſed perniciem ſe illi moliri apertè profitetur: neqve modò optat eam illis

qvod tamen per ſe impium ac nefarium votum eſſet, verùm eam etiam rationem, qvæ inter alias ad perniciem ejus comparata ſit, promptiſsimè ſe apprehenſuros ſignificat. Qværitis né etiam nunc qvæ iſta ratio ſit? qvæ alia qvàm qvæ ſatis ab illo ipſo expreſſa eſt, ut omnibus iis qvibus nec res nec ſpes ulla bona ſupereſſet: qvorum utinam non tanta eſſet multitudo: minimè tamen eſt tanta, ut non multo major ſit bonorum: iis igitur ut adjunctis vel ad interficiendum Regem auxilium, vel interfecto eo præſidium ſibi adjungeret. Cur enim non liceat, hoc illi in tyrannum, ſeu ut ipſe vocat tyrannos? veritus opinor, ut non ſatis frater intelligeret, qvod idolum vocaret: aut cùm indignũ nomine regio Regem diceret, qvo nomine dignum illum judicaret. De pernicie igitur & nece jam inimicorũ eum agitare negare non poſſunt. Rurſus hìc qværo qvorum? ſi ulli dubitationi locus eſt. ſed tamen tyrannorum nomine plures deſignat. In Gneſnenſem Caſtellanum tantùm abeſt ut convenire tyrãni nomen dicere poſsint, ut nullam aliam ob cauſam, qvàm qvòd tyrannis, qvos vocat, fidus ſit, infenſum ſe illi eſſe præ ſe ferat. non in Caſtellanum Gneſnenſem: reliqvum ergo eſt ut in Regem & Cancellarium: In Cancellarium dicent: hoc enim malent. Hìc non diſputabo, qvomodo cũ Cancellario minetur, plures nominet: de re ipſa agam.

Pri-

Primùm enim præclara ratio ſcelus ſcelere à ſe remo vere, nefarium parricidium non minus nefario latrocinio excuſare conari. Qvo enim jure licuiſſe ſibi defendat ſenatori, non dicam qvali ſenatori, ſed ſenatori patriæ ſuæ inſidias ſtruere: qvas ſi alteri cuicunqve homini feciſſet, ſummum flagitium admiſiſſet. Deinde non qværo adhuc, qvas cauſas ejus rei habuerit, de hoc enim poſtea: ſed qvas illi inimicitias denunciârit, indixerit, ſignificârit: Fugere enim eum non poteſt, hæc etiam cum graviſsimæ inimicitiarum cauſæ intercedant, hac præſertim in repub. obſervari ſolêre. ſed non pugnabo: ne putent me ab ullo ſcelere alienum eum exiſtimari velle: concedam ultrò, ſi facultas ejus rei data ei fuiſſet promptiſsimè cædem eum Cancellarii perpetraturum fuiſſe: fatebor etiam Rege interfecto, Cancellarium ſupervivere minimè expediturum ei fuiſſe: facilè enim cogitare poterat, ſi illo ſuperſtite Regem interfeciſſet, nō inultum ſe id laturum; cùm illum vel ſangvinem vitamqve ipſam ſuam pro Regis ſalute profuſurum du bitare non poſſet. Etſi enim idem à cæteris etiam bo nis omnibus expectandum ei fuerat, cùm tamen ad omnes res conficiendas in inſtigatore, authore, duce plurimum poſitum ſit, qvantum eum removere ſua intereſſet, qvem iſtas partes ſuſcepturum ſatis eum conſtabat, facilè perſpiciebat. At verò vivo etiam Re-

am Rege ſi Cancellarium interfeciſſet, qvid conſecutus fuiſſet? gratã fortaſsis rem Regi facturus erat? novo beneficio veteres omnes injurias ſuas ex animo ejus deleviſſet. Qvæ ſi omnia ſecus eſſe ſentiebat: ſi novo ſcelere priora ſe cumulaturũ fuiſſe intelligebat: ſi Regem, qvem tum à ſe alienum eſſe qverebatur, hoc tam atroci maleficio magis alienaturum ſe fuiſſe videbat; cui tandem bono ei fuiſſet, Cancellarium è medio tollere velle, Regem non tollere? Verùm attendant qvæſo. conveniat mihi hîc cum iis neceſſe eſt: ipſi ea in Cancellarium ab eo dicta, ſcripta, ſuſcepta fatentur: qvæ ſi in Regem dixiſſet, ſcripſiſſet, ſuſcepiſſet, majeſtatis reus eſſet, omnesq. cruciatus perferre eum oporteret: id enim niſi faterentur, cur qvæ in Regem ab eo collata eſſe manifeſtò ſentimus, tangimus videmus omnes, ipſi in Cancellarium conferrent. Fateantur igitur neceſſe eſt, pænæ metu id à ſe fieri, qvàm ſi ad Regem iſta pertinerent, qvemadmodum pertinent, ſubeundam ei eſſe dubitare non poterant: ego in Regem iſta intẽta doceo, aut in utrunqve concedo: qvid cauſæ jam eſt, qvare non pænam ultro ſubeat? At verò poteſt né cuiqvàm dubium eſſe ad Regem né an Cancellarium iſta pertineant? Primum enim qvod in omni qvæſtione debet eſſe primum, qværo, ecqvam in Cãcellario maleficii cauſam habuerit, an nullã habuerit

rit in Rege: aut tantùm habuiſſe ſe exiſtimârit? ſed qvid ego hæc exqviro, qvaſi non ipſe ſatis indicet? Qvam ullam totis hiſce literis in Cancellarium culpam confert? qvam non confert in Regem? qvam vel leviſsimam mentionem injuriæ à Cancellario acceptæ facit? qva in re illum accuſat? qva tandem in re non ſatisfactum ſibi ab illo oſtendit? Hæc omnia nonné in Rege facit? qvo loco apud Regem ſint: qvid ab eo polliceri ſibi debeant, dicturum ſe ab initio proponit: Regis nomine reſponſum ſe accepiſſe ſcribit: fratres ſuos graviſsimas injurias iniqvè à rege perferre narrat: à rege ſe expectaſſe, poſtulaſſe, nihil impetraſſe. Qvid horum in Cancellario? nihil. à qvo etiam operam ſibi navatam in petitionibus ſuis apud regem, reſponſumqve relatum ſibi ſignificat. Cùm verò fratris ſui proſcriptionẽ injuſtam etiam ab eo vocari ſolere ſcribit: non neceſſe eſt nunc me diſputare, qvomodo ab eo injuſta appellata ſit: jam antè oſtenſum eſt: ſed tamen cùm ipſe ita eam ab illo haberi exiſtimabat, nonné etiam favere illum ſibi oſtendit? Dicent exiſtimaſſe eum obſtari à Cancellario commodis ſuis apud regem. Id totum ſecus eſt. teſtatur Rex ipſe, diligentiſsimè illum ipſorũ cauſa apud ſe egiſſe, moleſtum etiam ſæpiſsimè ſibi fuiſſe, cùm ita ſecum ageret, ut ſive pro bonis eos civibus haberet, ornandos, ſive pro malis, ſanandos diceret.

ceret. Nihil igitur horum eſt. At ipſe tamen ita opinabatur. primùm cur id ei credam,cùm ipſe nullam hiſce literis cauſam in eum conferat,omnem conferat in Regem? ſed tamen eſto: infenſum eum fuiſſe Cancellario propter hanc opinionem: at bono alicui ei erat Cancellarium removere, ſuperſtitem velle eſſe Regem. Nihil minus:Cancellario enim interfecto, qvod operæpretium facturus erat? an ideo magis, qvæ concupiſcebat à Rege expreſſurum ſe putabat? an placatiorẽ ſibi fore ſperabat, tanto ſcelere perpetrato, qvẽ ante averſum à commodis ſuis exiſtimabat? Inducere né in animum poterat inultam mortem ejus Regem laturum, qvi & tam bene de ſe ac univerſa repub. meritus,& tam arcta deniq. necesſitudine conjunctus ſecum fuiſſet. num hæreditas aliqva à Cancellario illi morte ejus obventura erat? num ex bonis ejus commodum aliqvod ad eum pertinebat? nihil horum docere poterunt: ne co naturos qvidem puto. At Regis mors dii boni, qvãtum repẽtini boni illi apportaſſet? Illa enim tam fructuoſa interregnorum nundinatio, tam opima hæredĩtas, merces regni præſentanea, nonné in mentem vobis venit? Ita igitur agamus. Homo audax, injuria exacerbatus, cupiditate inflammatus, Cancellarium maledictis ſe proſcidiſſe, pro idolo atqve tyranno eum habuiſſe, interficere voluiſſe fatetur.

Ego

ego etſi in Cancellarium etiam non negem, in Regem tamen præcipuè ea iſtum machinatum dico: qværitur in qvem magis iſta conveniant, ſi in re maniſeſtisſima qvæſtioni locus eſt: ego à Rege injuriam ſeſe ſuosqve accepiſſe ſcriptum ab illo doceo: ille à Cancellario ne minimam qvidem injuriam ſibi factam hiſce literis præſefert: & nunc ſaltem accepiſſe ſeſe opinatum dicit. ego ex Regis morte maximum commodum pervẽturum ad eum fuiſſe demõſtro: ille tantùm abeſt, ut è Cancellarii qvicqvam qvod ad ſe ſpectaſſet oſtendere posſit, ut etiam vindictam ejus à ſuperſtite Rege expectandam ſibi fuiſſe negare neqveat. Dubitare né hîc qviſqvam poteſt, homo perditus an ei potiùs necem machinari voluerit, à qvo injuriis gravisſimis ſe ſuosq. affectos qveritur, an ei qvem nunc opinatum ſaltem ſibi obſtare dicat: an verò utriqve? luxuria egens, cupiditate incenſus, num eum potiùs tollere voluerit, cujus morte ipſe rerum omnium dominum ſeſe conſtituturum ſperabat; an eum cujus morte non modò nullũ fructum percepiſſet, verùm majus etiam incommodum atqve periculũ ſibi accerſiviſſet? Verùm video me in rebus perſpicuis argumentari. Satis enim ductus, ac ſeries orationis ipſius, qva nihil evidentiùs eſſe poteſt, oſtendit perpetuò de nullis aliis qvàm de Rege aut ſi aliqvando de Cancellario, conjun-

ctim certè de utroqve eum agere. Etenim ut ſuperi-
ora prætercam, redeo etiam nunc ad illud, qvo uſurum me antea negavi. ſi de Cancellario ſolo agit, cur plures deſignat? Non enim de Geryone neſcio qvo, qvi in fabulis commemorari ſolet, ſcribit. de qvo tamen ipſo qvi ſcripſerunt, tanqvam de vno nõ de pluribus locuti ſunt. Iam verò qvæ poſtea ab eo ſuſcepta ſunt, nonné in Regem omnia intenta, directa fuerunt? oratio ea illius ſeditioſa Proſſovienſis Cancellarium né magis qvàm Regem exagitavit? an Regem neſcire imperare liberis, qvi inter ſervos natus ſit, ſé dixiſſe negare poteſt? libelli & carmina illa infamia qvæ vel ab eo vel ipſius aſſeclis ad concitandam multitudinem accommodata vulgata fuerunt, nonné Regem magis qvàm Cancellariũ, aut certè vtrumqve ſimul notant? Itaqve ſi & in Cancellario maleficii cauſa, vel nulla, vel opinabilis ſaltem ei fuit: in Rege omnes. ſi illius cædes etiam damnoſa: hujus fructuoſisſima ei futura erat: ſi verba ipſa tam evidentia ſunt, ut nullum in alium qvàm in Regem transferri posſint: ſi ipſe idem dicit: ſi facta deniqve ipſius teſtantur: fateantur tandem, qvod omnes iam dudum manifeſtisſimè vident, non de Cãcellario aut Caſtellano Gneſnenſe, ſed de Rege aut conjunctim certè cum Rege de Cancellario agi. Hîc autem ego qvid dicam aliud? impietatẽ né ejus verborum

borum accuſem,ob eamqve vel ſolam in graviſsimas læſæ majeſtatis pœnas incurriſſe eum oſtendam ? ſicam ipſam in manibus deprehenſam tenetis. Qvod enim ſæpiùs dixi, qvi pro tyranno Regem habet, nõ fieri poſſe,qvin idem libentiſsimè de medio ſublaturus eum, de qvo ita exiſtimet, ſit, cùm & ſingulari erga eum odio inflammatus velit, & non modò impune, verùm honeſte etiã id facere poſsit,id ne confirmandum qvidem hîc mihi eſt,cùm perniciem ejus ſe agitare apertè nunc profiteatur.Fidẽ tamen hominis animadvertite.ſcribebat hęc eo tempore, qvo in gratiã Regis ad qvã multis precibus aditũ ſibi qværebat,vix tum receptus erat: ipſe autẽ, ut unus è familiaribus Regis circa latus ipſius atqve in cubiculo ejus verſabatur. Cùmqve cæteri pòſt reconciliatam gratiam non ſatis ſe bonos viros eſſe exiſtiment,ſi nõ modò odium omne priſtinum ex animo non deponant,verùm vel minimam etiam ſuſpicionem odii relinqvant: hîc tum maximè omne erga Regem non modò odium ſuum expromebat, verùm inſidias etiam vitæ ejus faciebat.*Illa etiam conſilia noſtra in gramine Sboroviano ſatis altas in cordibus noſtris radices egerunt: de eoq; iureiurando ſanctiſsime tibi confirmo, teq; obteſtor, ne qvicqvam dubites.* Qvænam iſta conſilia ſunt,qvæ in gramine Sboroviano provenerunt? Id né verò qværendum eſt ? qvisqvam né dubitare

 poteſt,

poteſt, eos qvi communem propinqvorum omnium ſuorum conjurationem facere voluerint, non oportuiſſe priùs inter ſe conjurare? Itaqve ſi iſtam confœderationem, qva univerſam progeniem ſuam cóprehendendam ſuprà oſtendit, ad profectionem aliqvam pertinuiſſe exiſtimatis, hanc etiam peregrinationis cauſa factam putate: ſi illam ad perniciem Regis, & commutandum ſtatum reipub. comparatam luce meridiana clariùs perſpicere potuiſtis, de hac né dubitandum vobis exiſtimabitis? *ſed bene factum, qvòd tempus expectatum eſt, aliud etiam qviddam, ut matureſcat, opus adhuc eſt. re ipſa intelliges bene omnia procedere, & rectam ingredi viam.* Non male cecidiſſe ait, qvod temporis opportunitas expectata ſit; id iniqviſsimum Regi eſſe, ſuprà dixit: qvibus rebus tempus exaſperatum, aut qvæ ab illis opportunitas expectata ſit, non difficilè eſt conjectura aſſeqvi: ipſe enim indicat: qvàm primùm dicit cognoſcendum eſſe, qvi propinqvorum ſuorũ verè ſui ſint, qvi non: cum illis confœderationẽ ſanciendam: homines honeſtos, ut ipſe vocat, ſed egentes brevi cognituros, æqvè ſuam atqve eorum rem agi, admonitos fortaſsis etiam pro mutua conjunctione ab ipſis: Niſovios ad amicitiam gentis Sboroviæ omni ratione adjungendos: eos brevi magno alicui principi vtilem operam navaturos. qvas opportunitates cõ paran-

parandas ſibi putarint, videtis: vos nunc qvæ parata, qvæ imparata habuerit judicate. *Reliqvum eſt de expeditionibus iſtis tuis cum Niſoviis.* Revocate nunc vobis in memoriam primam partitionem ejus: de duabus rebus ſcripturum ſe propoſuit, qvo loco apud Regem eſſent, qvidqve ab eo expectandum ſibi eſſet: & de Niſoviis. Hucuſqve igitur de Rege egit, jam ad Niſovios. *Maluiſſemus te non profectum: cauſæ ſunt multæ. ſed hæc apud me potiſsima, qvòd verear ne inſtinctu Regis iſtud fiat.* Honeſta ſuſpicio civis de principe ſuo: verùm ignoſcendum ei eſt: inimicus eſt, hoſtis eſt, perduellis eſt; nec profiteri veretur. *ſed qvoniam iſthic es, duæ res tibi curæ ſint, velim. Una ut militem iſtum in amicitia, ac fide gentis Sborovíæ retineas: ſcis enim, qvantum in eo nobis poſitum ſit. & propterea ſcribo ad eos literas tum meo, tum Marſchalci nomine: earum exemplum qvo inſtructior ſis, ſciréqve poſsis qvam ad rem, & qvomodo admonendi ſint, ad te mitto. cùm his etiam nunciis & contulimus, & ita nos erga illos geſsimus, uti convenit.* Exiſtimo ita multis rebus conſilia eorum, malevolumq. in Regẽ atq. remp. animum patere: itaq. conjurationẽ in perniciem Regis, atq. reip. factam detectã eſſe, ut nulli apud qvenqvam dubitationi locum amplius relictũ arbitrer. Qvòd ſi qviſqvam adhuc eſt, qvi etiam in re clarisſima majorem lucem deſideret, is nunc né eti-

am amplius qværendum ſibi putet? qvid enim hæc ſolicitatio militum ſibi vult? qvid genti Sboroviæ tantopere in illo poſitum? cur tam tectè, tam timidè attingitur? qvòd ſi nemo ferè vnqvã conjurabit, qvi non de hujuſmodi præſidiis cogitârit; nemo præſidia hujuſmodi qvæſiverit, qvi non res novas molîretur; nonné res ipſa ſatis, qvo iſta pertinuerint, indicat? verùm in eandem expeditionem Melitenſem eos ſecum ſe ducturos fuiſſe dicunt: Nemo non ſtatim videt, qvàm abſurdè: ſed tota hac de re mox videbimus: cùm earum ipſarum literarum, qvas ad Niſovios miſerunt exemplum hujus ipſius manu ſcriptum excutiemus. interim qvam alteram rem curæ ei eſſe velit, conſideremus. *Alterum eſt*, inqvit, *ut inde qvàm primò ad nos advoles: qvod ut facias per Deum te rogamus: vix dici poteſt, qvantopere opus te habeamus, qvod concedas nobis ô Deus noſter, uti te qvãprimum incolumem habeamus.* Id ſcilicet eſt, in tempore venire omnium rerum eſt primum. Qvo enim hæc tanta celeritas expetitur? cur tanta obteſtatio adhibetur? ſi honeſta ejus cauſa ſit, cur non ſignificatur? tantò celeriùs adventurus erat, ſi probè cauſam cognitam habuiſſet; ſed ſentitis opinor temporis opportunitatẽ iam veniſſe: iam pleraqve qvæ ad aggrediendam rem pertinerent comparata illos habuiſſe: jam honeſtos illos homines non eorum modò,

dò, verùm ſuam etiam cauſam agi cognoviſſe: illius etiam neſcio cujus tam nobilis fructus, cujus maturitas expectanda erat, maturitatem inſtare: nihil aliud reliqvum fuiſſe, qvàm ut confœderatione ſuorum rebus ſuis firmatis, Niſoviisqve adjunctis, qvò occiſo Rege tantò faciliùs rempub. occupare, tranſferreqve regnum poſſent, tempus necis Regis captarent. Itaq. in eandem ſententiam aliis etiam literis ad hunc fratrem ſuum eum ſcripſiſſe Samuelem Laſcum juvenem lectiſſimum pro teſtimonio dicẽtem paulò pòſt audietis: Cùm enim ad fines cũ Niſoviis proficiſci Samuelem nunciatum fuiſſet, his verbis literas ab hoc ad eum miſſas fuiſſe Laſcus dicit: Tu nũc diſcedis: cùm interim venire poſſit tempus, qvo dicamus, ecce erigamus capita noſtra, qvia venit dies & hora. *Iam ad minora*, inqvit, à publicis nimirum ad privata flagitia. *Gneſnenſis nulla ratione qvamùis diligentiſsimè à me & Luziccio rogatus duo millia florenorum pro eqvis numerare voluit, cùm non obſcurè potiùs, qvamùis nihil diceret, tamen ſignificaret, circumventum à nobis fratris filium eſſe. Itaq; nihil aliud faciendum tibi erit, qvàm ut ubi beneficio Dei ſalvus redieris, duplum eius ex Kamionka tibi compenſes. Interim ut fœtor iſte intelligat, cuionum ſe eſſe, ita circumvenire eum conſtitui. fingam vereri me, ne qvis fratris filium debitis à me obiectum exiſtimet, & qvãuis*

ùis invitum, eos tamẽ eqvos me accepturum, eoq; nomi ne tibi obligatum futurum. Qvid tum? Gneſnenſis eqvos mihi tradet cum ornamentis omnibus: ego illos accipiam: tibi integrum erit, non accipere delegationem meam; qvod qvidem ut facias magnopere te rogo: eritqve in tua poteſtate cumulatè tibi damnum hoc atqve debitum ſarcire: & ego nihilominùs ſine ullo pretio eqvorum potiar. Perſvadeant nunc alicui, qvòd iactât, non veriſimile eſſe ob mille taleros cum hoſte eo tempore illum pactum, qvo egens atqve nudus oberrabat, qvi ob duo millia florenorum fratris filium, eundemqve pupillum tam flagitiosè defraudare nõ dubitet. qvámvis mille eos taleros pro authoramẽto ſaltem acceperit: expectârit longè ampliora. Eſt boni judicis ex minimis rebus ſæpè de maximis conjecturam facere. Hæc autem fraus cùm talis ſit, ut viris bonis nulla major videri posſit, non difficulter ingenium nunc & fidem hominis ex iïsqve reliqvam vitam ejus æſtimare poteſtis: maximè autem cũ qvalis in ſuos ſit perſpexeritis, qva fide erga eos ſit, qvibus infenſus fuerit, intelligetis. *In fundum Sledziovienſem dabuntur decem millia florenorum, qvàm primùm Marſchalcus Radomia perfectis iudiciis redierit, qvi craſtina die certò Sborovii aderit. piſcina penes te manebit: Jordanus eius rei cauſa expectat: acceptaq; pecunia qvàmprimum ad te accurret. Ego craſtina die Buſci-*

Buſciniolum noſtrum primùm Viennam literarum Cæſaris cauſa, inde cum donis ad viduam mitto, de qva omnia adhuc læta audio: faxit Deus, feliciter id ut incipiatur ac perficiatur: credas mihi non vulgarem illũ bolum eſſe. Miſeram illam, qvæ in tuos ungves incidit, monedula accipitris. Hujus ille plumis ornatus, qvi nudus à nobis avolauerat, non modò veſtitus ad nos rediit, ſed etiam ſtipatus. & qvibus in locis antea vix vultum creditoribus oſtendere audebat, ea tumultu ac ſeditione implevit. verùm videbimus, an cujus ingluviei primò patrimonium, inde tot aliorum largitiones, tot pecuniæ per ſcelus qvæſitæ ſufficere non potuerint, eam an monedula una expletura ſit. *Ipſe ad ſummum qvatuor ſeptimanas hîc me continebo, earum omnium rerum cauſa, qvæ ſuperiùs à me nominatæ ſunt.* O tempora, ô mores. Hîc qvatuor ſeptimanarum ſpatium ad evertendum ſtatum reip. interficiendum Regem: transferrendum regnum ſibi præfinit, & non modò multò plures ſeptimanas ſed menſes etiam impunè adhuc volitat, qvi continuò omnibus ſuppliciis dedi debebat. qvarum enim aliarum rerum perficiendarum cauſa commoraturum ſe ibi dicit? earum qvæ ſuperiùs nominatæ ſunt: qvæ ſunt iſtæ? ut pupillum eumdemqve fratris filium circumſcribat, eqvos inemptos accipiat? at vel unius horæ momento accipere poterat. ut literas iſtas ſu-

as & munera mitteret? at jam miſerat? ut decem millia florenorum fratri curaret? at ea parata jam eſſe oſtendit? præterea verò Iordano eam rem curæ fore: nulla igitur hujuſmodi cauſa eum retinuit; qvæ tamen ſi ulla eum retinuiſſet, qvota eſſet pars earum rerum, qvas ſuprà nominavit? ille verò omnium earum cauſa remanere ſe oſtendit. Etiam né in tam perſpicuis rebus conjecturis res aperienda, aut argumentis confirmanda ſit? nonné vobis hæc, qvæ ab illis comparari audiſtis cernere oculis videmini? nonné illos conjurationem ſuorum facere videtis? nonné egentes ſolicitari? expectari in venationem euntem Regem? Eum caſus ſui, & ſuorum perfidiæ ignarum ſolùm aut uno aliqvo comitatum à reliqvo comitatu ſuo excurrere? non verſantur vobis antè oculos inſidiæ poſitæ? in his egregii illi venatores latentes? repentinus impetus in Regem? nonné omnia deinde tumultu miſceri videtis: evocari Niſovios: rempub. opprimi: externos principes accerſi? Dicent, hæc né igitur qvatuor ſeptimanarum ſpatio confici omnia ab eo potuerunt, cùm præſertim tanto locorum intervallo frater ac Niſovii diſtarent: cur igitur perfecta non ſunt? Id qvidem multò rectiùs ab iis ego qværere poſſum. ſi ad profectionem Meliténſem conjuratio, qvam fecerunt, ac Niſoviorum ſolicitatio pertinebant, cur jam tanto tempore elapſo non-

nondum tamen profecti ſunt; cùm longè majorem facultatem profectionis ejus perficiendæ habuerint, de qva ipſi cogitaſſe ſe dicunt, qvàm cædis, qvàm meditatos eos ego doceo: illaqve tota in eorum poteſtate futura fuerit: hujus magnam partem fortuna & caſus ſibi vendicent? ſed qvid ad me, an potuerit? non moror. Cùm qvòd non potuerit, omnes potiùs boni gaudeant. Mihi enim ſatis eſt, qvid voluerit jam antè oſtendiſſe: ille an iſta tam exiguo temporis ſpatio tranſigere potuerit, viderit. Ipſe potiùs fateor, fieri potuiſſe, ut furore amens, ea etiam qvæ fieri non potuerit, mente conceperit: ſed tamen ad cõfœderationẽ faciendam eum & Marſchalcum, qvos frater alter eorum Samuel architectos conſiliorum omnium dolens appellare ſolebat, ſubſtitiſſe: fratrẽ, qvi operam ſaltem ſuam electam ipſe fatebatur, ad cædem evocatum ſuſpicari poſſum: Niſoviis pòſt perpetratam cædem priùs opus futurum illis fuiſſe. Qvámvis ne eum ipſum qvidem tam dementem fuiſſe exiſtimo, ut qvæ ſibi propoſuerat, certò ſe perfecturum exploratum ſe habere putaret: ut non ſi hoc tempore non proceſsiſſet, de futuro cogitaret. Adde huc varios caſus, qvi maximos præcipuè conatus plerumqve intercipere ſolent: Qvid enim feliciorem hîc eum fuiſſe ſtatuere neceſſe eſt, qvàm cùm Cracoviam ingredientem Regem interficere voluit, ac ta-

men caſus qvidam, tela ipſa de manibus ei extorſit? ſed qvemadmodum antè dixi, an potuerit iſto temporis ſpatio, qvæ deſignârat exeqvi, minimè neceſſe eſt me qværere: ac ne an voluerit qvidem hoc tempore omnia: ſatis eſt animum ac conſilia ipſius à me demonſtrata eſſe. qvocunqve tempore iſta perficere vel voluerit vel potuerit nihil ad me. Fac enim initium ſaltem earum rerum facere eum voluiſſe: fundamenta earum jacere. Ob eas certè ſubſtiturum ſe ſcribit. Harum ille igitur rerum cauſa in patria remanebat, cujus vel aſpectus ipſe à tanto ſcelere revocare eum debebat. qvæ etſi ipſa affari eum non poterat, tamen ſi vox à natura tributa ei fuiſſet, qvibus eum verbis à tam nefario facinore dehortata eſſet, nō in mentem ei veniebat? Ea enim ſi ita cum illo egiſſet, qvid agis Sborovi? qvis te tantus furor exagitat, ut ne vultus qvidem ejus, qvæ te genuit, qvæ prima naſcentem excepit, in qva hanc lucem, qva dignus non es, primus aſpexiſti, cùm is ſæpè inſaniſsimo cuiqve arma de manibus extorſerit, te ne mitigare qvidem poſsit? Iamdudum libertatem, leges, jura omnia ejus, qvantum in vobis fuit, faſtu veſtro proculcaviſtis, avaritia vendidiſtis, ſcelere violaviſtis: Tuli: fidem tuam immaniſsimo hoſti meo contra me addixiſti: ne id qvidem qveſta magnopere ſum: qvòd abſentis mei charitatem exviſſe te exiſtimabam:

mabam : non ſatis tibi eſt: præſens etiam impias manus mihi affers : támqve nefario parricidio polluere me conaris. ſi exiſtimationis atqve honeſtatis tuæ, qvam jamdudum abjeciſti, cura nulla te retinet: ſi fides mihi debita, qvam abſens hoſti vendidiſti, te non impedit: ſi pietas, qvam tu nullam unqvam colendam putaſti, à tam atroci facinore non revocat; at pænarum ſaltem, qvæ tam impios parricidas manent, metus abſterreant. Qvid enim? parentum violatores ultricibus furiis circumagi ſemper, putas: patriç non putas? Non eſt ita: nemo unqvã impiã vim patriæ intulit, qvi non gravisſimas pænas ei dederit. His igitur ille ſermonibus, qvos certè conſcientia ipſius ultrò ei ſubjecerit neceſſe eſt, non ne commoveri debuiſſet? tantum abeſt ut ulla ratio impetum ſceleris ejus tardare potuerit, ut id ipſum breuisſimum qvatuor ſeptimanarum ſpatium longisſimum ei videatur? ut urgeat, obteſtetur, obſecret, vt qvã primũ acceleret. nonné hoc monſtri ſimile eſt? Qvin adjicit aliam rationem, qva fratrem à profectione ad ſe traducat: aut ſi frater, ſine qvo, qvemadmodum aliis literis ad eum ſcripſit, reliqvi duo nihil vellent, uel poſſent, ad horam, qva ut in iiſdem literis fuerat, erigere capita ſua poſſent, non veniret; ne Regi tamen interim inimico ſuo, ut eum vocat, commodi aliqvid afferat, illum dehortatur. *Cogitant hîc*, in-

qvit, *de Comitiis maturiùs, qvàm leges noſtræ patiuntur in dicendis, idq́; propter tributum, cuius cauſam in te conferent, ut qvo ad bellum Turcicum, qvod à te cõcitatũ iri dicunt, opus ſit. Itaq́; ne eo ipſo gratam rem inimicis noſtris faciamus, per Deum nihil maioris rei ordiaris: Regi enim valde commodaueris: tectè ille agit, minimeq́; gratam eam rem ſibi eſſe ſimulat.* Iam verò videtis né ut etiam aliud agendo ſe nefariaq. conſilia ſua prodat? Iam né adhuc confirmare audebit non in Regem, ſed Cancellarium ac fratrem ſuum Caſtellanum Gneſnenſem iſta à ſe cogitata, dicta, ſcripta, inſtructa fuiſſe? Etenim ſi qværatur ab eo, qvem tam contumelioſis & impiis verbis proſciderit, contra qvem confœderationem inſtituere voluerit, cui extrema qvæqve minatus, machinatus ſit: non poterit certè negare qvin inimico: inimicum igitur ſuum qvem hîc appellat? Regem. dehortatur fratrem, ne inimicis imprudens gratam rem faciat: Regi enim inqvit, valde commodares. Qvenqvamné nunc tam ſtultum, qvi iſta ejus figmenta credat, futurum putat? Omitto hîc impudentisſimam in principem calumniam; qvæ fortè in tot aliorum graviſſimorum criminum atrocitate latere poſſe alicui videatur. *Nobilitatem verò offendes in perpetuũ; qva nobis ſub hoc præſertim tempus opus eſt. ſapienti ſatis.* Hîc né etiam argumentis nobis opus eſt, ad id qvod

à ſuo

à ſuo ſapiente non difficulter ille intelligi poſſe putar, intelligendum? Non ſumus fortasſis ſapientes: ſed tamen qvis non videat qvare ille ſub hoc tempus nobilitate, qvæ & hujus reipub. robur ac firmamentũ eſt,& in Regibus creandis ſummam poteſtatem obtinet, potisſimum opus ſibi eſſe putet? Qværo enim cur ei potiùs qvàm aliis nobilitate opus ſit? qvî enim minus aliis civibus, civium ſuorum benevolentia optanda ſit, qvàm ipſi? Vnde nunc autem nobilitas ſubitò in honore apud eum eſt, qvem aliâs cùm pro Comite ſe gerit, ſuppudere qvaſi ordinis hujus ſolet?Deinde cur ipſi potius hoc tempore,qvã alio? qvòd ſi de Cancellario non de Rege interficiendo cogitabat,cùm cędis qvę nullis antea inimicitiis denunciatis perpetrata ſit, ad Regem judicium pertineat, qvî magis nobilitatis qvàm Regis gratia opus illi erat? ad qvæ ſi nihil habent, qvod reſpondeant, nonné fatentur qvod res eſt, non exiſtimaſſe eum, ſi multitudinis opes adverſas haberet, interfecto Rege remp. occupare; & in qvem illis videretur transferre regnum poſſe? qvod dum dicit,nefarias qvidem molitiones ſuas prodit. de nobilitate vehementer fallitur. minimè enim tanta eſt multitudo malorum, qvantam ſperat: non tanta paucitas bonorum, qvantam putat. Hæc igitur cùm ita ſint,nonné conſilia ſua luce clarius patere iam ſentit? nonné

omnia

omnia perfugia ſceleris ſibi extorta? nonné ex latebris in qvas ſe confugere poſſe arbitrabatur, extractum, omnium oculis expoſitum iam cernit? *In Livonia tumultus cum Rege Daniæ, ad qvem bonus vir, ſummus noſter amicus mittitur, pincerna barba. Niſovii veſtri, heri cùm loqverer cum Cancellario, adfuerunt; præterea quòd ſcribam non habeo. gratiæ ac amori fraterno officia mea commendo, ac in perpetuum addico. Dominus Jeſus Chriſtus concedat nobis te breui ſalvum conſpicere, amen.* Iam etiam ſceleris ſui adjutorem Deum invocat, qvem ſi qvicqvam in eo pietatis eſſet, facinorum ſuorum vindicem atqve ultorem horrere debebat. Sed non auxilium illi ad ea, qvæ impiè cogitavit patranda, ſed ultio ad punienda parata fuit. Nunc alteram etiam ad Niſovios epiſtolam eorum incipiamus. *Clariſſimi milites, domini & amici benevoli. Pro ea conſvetudine, qvæ cum Samuele fratre noſtro vobis intercedit, prætermittere noluimus, qvin hiſce literis vos ſalutaremus, omniaq; benevolentiæ ſtudia noſtra vobis deferremus; rogantes vos, ut in amanda, & obſervanda perſona fratris noſtri tales vos nobis præſtetis, ut inde qvàm maximus ſemper ad amicitiam noſtram cumulus accedat, temporisq; progreſſu, ad maiorem aliqvam communicationem cum familia noſtra pervenire ea poſſit. qvod ut non modò incommodum nullum, ſed ſuo tempore commodum etiam*

tiam afferre vobis poſſit, vos pro veſtra prudentia exiſtimare poteritis. Non dubitandum qvidẽ nobis putamus, hanc mutuam noſtram communicationem nonnullos hîc in Polonia læſuram. ſed nos qvemadmodum eius rei rationem ducere non tenemur, ita parum etiam eo movemur. vos etiam maius, & certius pignus ſtudii & amicitiæ noſtræ habere, aut optare à nobis non poteſtis, qvã qvod nunc habetis, ſangvinem nimirum noſtrum, fratrem noſtrum. cui tantùm abeſt, ut vitio demus, qvòd ſocietatem veſtram, tam claræ & celebris militiæ amplectatur, ſalutem ſuam vobis concredat, unàqve vobiſcum contrà inimicum ſanctæ crucis promptè exponat, ut ſummopere etiam id in eo probemus, idq; ut faciat conſilio, precibus, authoritate noſtra eum permoveamus. De vobis ita nobis perſvademus, vos in eo colendo qvanti nos, & amicitiam noſtram faciatis, oſtendere non prætermiſſuros. Nos verò in qvibuſcunqve veſtris neceſſitatibus tales nos vobis amicos præſtabimus, qvalibus digni ſemper eſtis. qvemadmodum ſanè pro ea veſtra fama, qvo non modò hîc in Polonia, ſed in exteris qvibuſqve nationibus apud Cæſares & magnos Reges polletis, non diu, Deo dante expectandum nobis erit, ut in aliqvo magni momenti negotio uſui nobis mutuò eſſe poſſimus. qva de re cùm ſcribere non liceat, malumus id ſemper fratri noſtro qvàm literis concredere. Aliud nunc nihil eſt. ſtudia noſtra benevolentiamq; de-

ferentes, gratiam vobis divinam, ac felices contra omnes hoſtes ſucceſſus optamus. ſolicitatos igitur ab iis negare non poſſunt: ad qvam rem opera eorum uti voluerint, ipſi qvidem literis hiſce credere noluerũt, nos tamen celare non potuerunt: ipſi enim ſe produnt: fratri ſe credidiſſe ſcribunt, qvæ ſuo nomine cum illis ageret: dubium né igitur cuiqvàm eſſe poteſt, qvibus de rebus ad fratrem ſcripſerint, ad eas patrandas illorum operam eos adjungere ſibi voluiſſe? Qvámvis qvid his opus eſt? qviſqvam ne niſi ad vim, ad res novas, ad ſeditionem, ad cædem militem unqvam ſolicitavit? at qvem militem? manum nimirum magna ex parte vagorum, egentium, nonnullorum etiam damnatorũ: nonnullos in Polonia conjunctionem illam eorum cum gente ſua læſuram ultrò profitentur: obſcurè né hîc indicant, cõtrà qvos adjungere eos ſibi velint? qvibus enim conjunctionem eam moleſtam futuram dicunt? qvibus aliis, niſi, qvos ſibi moleſtos qveruntur? Hi qvi ſunt, Rex, & ſi qvi illi fideles ſint. cùm verò non diu expectandum ſibi oſtendunt, ut in aliqvo magni momenti negotio commodare ſibi mutuò poſsint, nonné iniqviſsimum illud tempus, de qvo in ſuperioribus literis dicit, deſignant? qvámvis in hoc qvidem cavere ſibi videntur, ut etiam ſi eo tempore res fortè nõ proceſsiſſet, nihilominùs deinceps obnoxios eos haberent. Iam id au-

id autem, qvòd apud Cæſares & magnos Reges operam ſuam iis policentur, qvale tandem eſt? fructus credo iſte aureus, cujus maturitas imminebat. Nolim ego de qvoqvã temerè ſuſpicari: ne dum de ſummis principibus; qvorum qvenqvam machinationũ harum conſcium fuiſſe ne in mentem qvidem mihi venit. ſed tamen mos principum & natura rerum qvę ſit, videmus. non ambiunt fortaſsis aliqvid: at oblatum ultrò accipiunt: injuriam alteri facere nolint: at ab alio factam nihil ad ſe pertinere non immeritò fortaſsis putant: regnum per nefas acqvirere, nefas ſibi ducunt: at alieno ſcelere vacuum factum vel honeſtiſsimè, ſi id ſibi deferatur, accipere poſſunt. Iam autem horum avaritiam & flagitioſiſsimam de reip. patrimonio nundinationem, qvis noſtrum eſt, qvi neſciat? vereor ne id qvod dicturus ſum, minorem authoritatem habeat, propterea, qvòd authores ejus à me non proferentur: ſed tamẽ poſſem utrunq. nominare, ſi an nominari à me vellent, dubitandum mihi non eſſet. Nam cùm de Alanconii Ducis morte nõ ita pridem fama allata fuiſſet, ejusqve apud primarium qvendam ſenatorem mentio fieret, fuit ibi tum ſummæ prudentiæ atqve doctrinæ, fidei autem ſingularis vir in externis rebus plurimum verſatùs, vobisqve optimè notus; is ita tum eam nobis gratulabatur, ut ejus morte non nullo metu defunctos nos

putaret. Mirante eo ſenatore, qvid Alanconii mors ad hoc regnũ pertinere poſſet; Non eſt, inqvit, qvod omni periculo vacuos vos fuiſſe exiſtimetis: non defuerunt credite mihi ex veſtris, qvi ſi fratrẽ à ſe Rex Galliæ amovere atq. in hoc regnũ ablegare vellet, ſuam ad id operã atq. ſtudium illi policerentur. A qvibus iſta facta ſint, ſuſpicandũ né etiã vobis putatis? aut qvib. priùs hæc res qvęſtuoſa fuerit qvisqvã ignorat? Qvid item apud alios vicinos principes ab iiſdẽ tentetur, dubiũ né cuiqvam eſſe poteſt? Qvãuis de nullo principe, qvemadmodum ante oſtendi, qvicqvam ſuſpicari mihi libet: qvin potiùs omni illos appetiti regni ſuſpicione libero: hi delati regni crimine tantum abeſt, ut ſe liberare posſint, ut cùm finitimum militem ſolicitent, Cæſaribus & Regibus ſe illum conciliare ultrò oſtendant. Verũ habent hîc, opinor, qvod nobis opponant: idem nimirum qvod de confœderatione. Ad qvod idem, qvod ante reſponſum eſt, nunc etiam dico. Vt enim cætera mittam: non qvęram, qvem uſum manus militum primùm egens & vaga, deinde in mediterraneis locis ac vaſtitatibus ſemper verſata, in maritima militia ſermonis, hominum, locorum, in qvæ duceretur, imperita habitura eſſet: verba ipſa literarum ita evidentia ſunt, ut nulla interpretatione, in alium ſenſum trahi posſint. monẽtur ut in fide domus Sboroviæ ſint: eam rem brevi a-

vi apud magnos principes commodo iis futuram: moleſtiam qvidem nonnullos in Polonia ex eo capturos, ſibi tamen ejus rei rationem habendam non eſſe ſignificatur. Qvid horum vel cum peregrinatione vel in peregrinationem iſtam convenit? Deinde idem, qvod ſæpè iam qvæſivi, hîc etiam repeto. Si honeſtum, ſi laudabile, ſi licitum deniqve conſilium id erat, cur non apertè perſcribebatur? nonné ipſi iſta de re, ad qvam adhibere eos cogitant, non ſcribere ſibi licere profitentur: aut id qvi facit,qvod nō licere ſibi ipſe fateatur, pænam recuſare poteſt? Neminem iam eſſe ſentio, qvi poſtqvàm has ipſius literas cognôrit, vocem qvodammodo ipſius audierit, proprio inditio ſuo proditum, judicio cōdemnatum intellexerit, qvicqvam ampliùs expectet. Nam ſi certitudo in probationibus qværitur,qvis certior ſceleris teſtis, qvàm qvi idem machinator? ſi fides, qvid fideliùs literis, qvæ mutari non poſſunt? ſi gravitas, qvid grauiùs qvàm ſua qvenqve voce condemnari? Ego ita tamen agere cum illo conſtitui,ut cùm ille à nullo ferè crimine ſeſe abſtinuerit,mihi etiam genus probationis nullum deeſſe intelligat: ac non modò propria ejus voce, literis, ſignis, ſed aliorum etiam teſtimoniis contra eum utar;non ut convincam iam convictum, ſed ut obruam. Audiviſtis paulò antè in hoc ipſo conſeſſu ſenatus V. CL. Albertum Laſcum

Palatinum Siradienſem dicentem, cùm comitiis, qvę poſt captos Lukos habita fuerunt, Varſaviæ eſſet, à Samuele Sborovio uno ex ternario iſto ſetum ibi cõventum: ſolicitatum ab eo, ut unà ſecum cogitationem de pellendo Rege ſuſciperet: rem eam pro ſua fide eo ipſo tempore ad Regem detuliſſe: utqve in præſentia ſua de ea ex Samuele qværeretur, poſtulaſſe. Conjurationem igitur factam videtis: ſed ita ut cùm iam à multo tempore è gramine illo Sborovia-no excreviſſe eam intellexeritis, in herba qvidem interim fuiſſe, rationesqve tollendi Regis qvæſitas ſępè, maturitatem ejus, ſeu vt ipſe loqvitur, faciendi, ut experiretur Rex iniqvisſimo tẽpore ſe ab illo appetitos eſſe, in hoc ferè tempus, qvod literis continetur eos contuliſſe. Bokſchicius erat qvidam ex Palatinatu Sandomirienſi, qvi ut opinio hominum fert, Kaffkam hominẽ nobilem, ac potentem in Moravia, eum ipſum qvi hunc iſti bolum reliqvit, maritum nimirum ejus, qvam iſte in uxorem deinde duxit, interfecerat. qvi cùm in Poloniam profugiſſet, iſti qvi ab homicidio profectum facilè ad aliud facinus impelli poſſe judicarent, ſolicitare hominem, ut Regem tolleret cœperunt. Hic qvòd in inimico injuria fortasſis aliqva ejus provocatus fecerat, in Rege tamen non modò recuſavit, verùm deferre etiam conſtituit; rem cum aliis compluribus, præcipuè tamen

men cum Ioanne Porudenſcio familiari Regio, cum qvo aliqvis ei uſus intercedebat, communicavit. Po rudenſcius ad Regem rem detulit. Bokſchicius in rixa deinde à Ianuſii Oſtrogiæ Ducis filii familiaribus interfectus fuit. Qvod idem ſi in vivis eſſet, diceret, dicentem audiviſtis Porudenſcium, qvi ab ipſo Bokſchicio in re præſenti cognovit. Deferebantur eadem aliunde etiam & diverſis temporibus ad Regem: nam neqve audacia ac furor eorum qvieſcere eos patiebatur, nec væcordia clam conſilia ſua habere. Itaqve iam antè cùm poſt proximè præterita comitia Cracoviæ Rex verſaretur: Cancellarius Leopoli Tartarorum incurſiones expectaret, venit Cracoviam è ternario iſto, frater hic ejus Samuel, ad qvem literæ qvas vidiſtis ſcriptæ ſunt. publica tum fama fuit, cùm in venationibus Rex verſaretur, viam illum obſediſſe, qva rediturum Regem putârat, eaq́. ſi rediiſſet, iam tum incautum interfecturum fuiſſe. Audiviſtis eadem dicentem Staniſlaum Goczlaviũ eum, qui ſocius Bokſchicii fuerat. pro ea ſocietate qvæ cum Bokſchicio ſibi fuerat, ſecum qvoqve rem communicatam, invitatum ſe in domum ejus Sloczoviam; promiſſa ſibi facta: cùm Cracovia Leopo lim iret, hos duos ſolos in rhedam ab eo acceptos: pueris remotis, multum tum ad ſe atqve Bokſchiecium ſermonem in itinere Samuelem habuiſſe de inju-

riis

riis in ſe Regis: oſtendiſſe, habere ſe in animo interficere Regem: qva ratione qvàm tutisſimè id facere poſſet, iam dudum à ſe qvæſitum: commodisſimam tamen hanc judicare, vt domum perviam eligeret, è cujus veſtibulo tranſgrediẽs Rex ſcloppeto interfici poſſet, è poſtico ad eqvum inſtructum ac paratum fuga patere: deliberaſſe qvò potisſimum cæde perpetrata ſe reciperet: Cæſaris ditiones præ cæteris elegiſſe: inde Regem ſe creaturos, omnesqve qvi ſocii cædis regiæ fuiſſent, beatos ſe facturum. Eadem ſe qvoqve ad Porudenſcium poſt Bokſchicium detuliſſe dicit: & Bokſchicius teſtatur. Iam verò Samuelis Laſci juvenis clarisſima familia orti teſtimoniũ integrum recitabo, qvo rectiùs qvomodo in nefariis hiſce conſiliis ipſi numqvam à ſe diſcrepârint, cognoſcatis. Cùm igitur, inqvit, percrebuiſſet, in expeditionem cum Niſoviis Samuelem iturum, dedit ad eum literas Chriſtophorus. Iis iter id ejus vehementer improbabat, alienisſimumqve ab eo tempore eſſe oſtendebat. Monebat ut in memoriam ſibi revocaret, qvalis inter ſe tres fratres necesſitudo, ac vinculum non ſolùm naturæ, ſed conſiliorum etiam ac voluntatis eſſet: docebat turbari Poloniam: in Livonia tumultuari, qvis ſciret, num aliqvis Boreas à ſeptentrione etiam flaturus eſſet; indeq. præter opinionem occaſio aliqva exiſteret, ut dicerent,

eriga-

erigamus capita noſtra; qvia venit dies & hora.Meminit deinde duorum generum conſiliorum, qvorũ primum hoc erat, ut priùs in aula omnia tentarent, ad conſtituendas res ſuas. quæ ſi non ſuccederent, ad aliud conſilii genus, quod in herba captum fuiſſet, recurrerent. ad qvod & juramento ſe obſtrinxiſſent. Quærebatur de Caſtellano Gneſnenſe, qvòd non ſolùm reliqviſſet eos, ſed planè prodidiſſet. Addebat tandem meſſem in herba eſſe:iam denuò convenire ſe oportere:ac illum iam diſcedere à ſe talem fratrem,ſine qvo ipſi duo nihil vel vellent vel poſsẽt. Vtebatur & aliis rationibus longioribus, quibus eũ ab expeditione illa removeret. Extremo loco ut milites Niſovios muneribus in fide retineret, illum hortabatur. Haſce literas non modò ſibi, verùm multis aliis præſentibus legiſſe Samuelem, ad qvem ſcriptę erant, Laſcus dixit. In qvibus ſi eadem conſilia expreſſa videtis,qvæ in iis ipſis,qvas in judicio protuli, qvid perpetuò agitârint nulli certè dubium eſſe poteſt. Hiſce teſtimoniis qvid opponunt? Literas proferunt Laſci ad Samuelem ſcriptas,qvibus ſecuro animo eum eſſe jubet, neve à ſuo indicio ſibi metuat, cum hortatur; ut qvi nihil præterea indicârit, qvàm qvæ in iis literis fratris ipſius Chriſtophori fuiſſent, qvas coram multis ipſe legiſſet: nec animadvertunt confirmari magis hac re teſtimonium ejus. Qvid e-

nim aliud Laſcus dicit, qvàm qvod in iis literis Chriſtophori perſcriptum fuiſſe cognôrit, inqve his ipſis ſuis,qvas proferunt, ad Samuelem agnoſcit. qvæ tamen fortasſis Laſcus cùm indicaret,qvò ſpectarent, ipſe tum non perſpiciebat: nobis cum hiſce literis, qvę in judicio lectæ ſunt, collata qvantam lucem afferant,vel ipſi intelligunt.Iam Goczlavii teſtimoniũ ſchedula qvadam hominis cujuſdam proſcripti recitata infirmare ſe poſſe putãt. qva is profitetur interogatum à ſe Goczlaviũ, num qvæ de Samuele indicârit, alia omnia reſpondiſſe. Qvod & Goczlavius negat: & nobilis bonę famę teſtimoniũ ab alio non integri juris tali prçſertim charta minimè eleuari poſſe ſatis ſciunt. Verùm venio nunc ad illius ipſius unius ex tricipitina ea,qvo iſti eorum, qvæ ipſi impiè excogitaſſent,tanqvã exactore uti deſtinârant, profesſionem. Cùm enim hic ipſe frater eorum Samuel, ad qvem utraqve hæc epiſtola ſcripta fuit, jamdudũ debitas legibus atqve reip. pænas perſolveret, qvid profeſſus ſit vidiſtis. Ita autem profeſſus eſt, ut cùm nulla vis ei adhiberetur: revocaret eum autem & infamia & pæna tanti ſceleris: tamen cùm liberè omnia reticere potuiſſet; qvod maniſeſtisſima eſſe ſciret,negare auſus nõ fuerit: obſcuraſſe videatur qvędam. Etſi enim eum, qvi jura civitatis amiſerat, nulla dignitas in tanto præſertim crimine à qvæſtione

defen-

defendere debere videbatur: tamen partim inſtituto eorum, qvi nonnunqvam conjuratorum literas non lectas corruperunt, vt ſua ſponte potiùs conjuratio extingveretur, qvàm cum multorum pernicie, ſi prodita eſſet opprimeretur, tortus non fuit: partim, qvòd ob aliud crimen ſupplicium de eo ſumeretur, vt invidia vitaretur. Hæc igitur cùm ſua ſponte dixerit, prudẽtiæ veſtræ eſt, qvæ poſteritatis ſuæ cura atq. infamiæ metu, cùm id ſine vllo metu facere poſſet, reticuerit, cogitare. ſumma opinor hæc eſt, ut & fontẽ & authores ſcelerũ omniũ reliqvos duos, ſibi audacię ſaltem partes tributas dicat. Conſilium eos evertendi Regis cœpiſſe: rationẽ ejus hanc iniuiſſe dicit, ut externo aliquo principe ſibi adiuncto, Regem inde qvàm maximã poſſent in invidiã apud populares adducerent: ubi in omniũ odium veniſſet, tollerent; maximéq. ab hoc Chriſtophoro hanc vocem exauditam teſtatus eſt, poſſe id vel in venatione, in qva ſæpè aut uno comitatus, aut ſolus aberrare ſoleret, non magno negotio fieri: atq. ita calumnias electas, ut impunè: ſolitudinem ut tuto tolli poſſet. eundem iam ab initio cùm Cracoviã Rex ingrederetur, è domo qvadam ſcloppeto ejus trajiciẽdi conſilium cœpiſſe, omnia iam ad id cóparata habuiſſe oſtendit; qvódq. antea publica fama, ac ſermone hominum frequentatũ memineramus, fratre

dicant? nonné is dixit, qvi iſtis eorum conſiliis non ſolùm interfuit ſed tanqvam exactor eorum deſtinatus fuerat? nonné frater dixit? nonné ſua ſponte dixit? Si confeſſus inqviũt de conjuratione eſt, cur ad comitia non ſervatus fuit,ut prȩſens eam detegeret? videant ne potiùs contra ipſos id valeat. Cùm enim leges animadverti in eum juberent,ut rei judicatȩ ac legibus ſatisfieret, ſtatim ſuppliciũ de eo ſumptum eſt: conjuratio cùm tam manifeſta eſſet,ut nulla ampliori luce indigeret,ac etiã ſine præſentia ejus convinci poſſet, ideo ſervatus non fuit. Verùmtamen qvam cauſam magiſtratus maturandi ſupplicii ejus habuerit norunt. Tenebatur enim illæ Cracoviæ; in ea nimirũ urbe, in qvam nonnulli, qvibus neq. ſpes neq. res ulla niſi in ſcelere eſt, tanqvam in ſentinam & aliâs confluere ſolent, & eo maximè tempore cõfluebant; qvibúſqve arcem qvòd judicia in ea habeantur, ſemper patere neceſſe eſt: magiſtratui autem reipub.cauſa longius neceſſariò ad fines proficiſcẽdum erat. Itaqve cùm minimè tuto Cracoviæ relinqvere eum ſe poſſe videret, fecit id,qvod etiam ſi ea cauſa maturandi illi non fuiſſet,tamen vt faceret juris publici cura ab eo expoſcebat. Etenim ſi etiam nihil periculi aut difficultatis cuſtodia habitura fuiſſet, ad comitia ſupplicium ejus diſtuliſſet, ut ejus rei cauſam qvàmvis gravem habuiſſet: eſſet tamen non

nihil, qvod ego, qvod qvilibet tenuior civis in eo reqvireret. Damnatus erat publicè in comitiis decreto contra eum lato: executio in publico regni conventu, hoc Rege iam regnante, à nuntiis, ab univerſa repub. & poſtulata & mandata omnibus omnium locorum magiſtratibus contra eum fuerat: capitur. Hic ſi in comitia dilatus fuiſſet, qvis id non factioni illorum datum, vel à metu magiſtratus profectum potiùs qvàm conjurationis cognoſcendæ cauſa factum interpretatus fuiſſet? qvis non in æqvo omnium jure non eandem in clariores, qvàm in tenuiores ſeveritatem adhiberi optimo jure qværi potuiſſet? qvis rerum judicatarum executionem in dubitationem vocari non doluiſſet? qvæ cùm ita ſint, tamẽ qvid habent cur minorem fidem profesſioni huic ejus, qvàm illi ipſi, ſi adeſſet, adhibendam contẽdant? Eſt excepta ab officio publico: cõteſtata à viatore: à tot honeſtis ex nobilitate hominibus auſcultata. Dicunt inimicum ſuum magiſtratum eſſe, à cujus officio ſupplicium de eo ſumtũ eſt. Iam antè hac de re dictum eſt. Qvæ aliæ verę inter eos inimicitiæ ſunt, qvàm qvòd ſuppliciũ de fratre eorũ ſumſit? eadẽ ratione nõné qvilibet magiſtratus inimicus iis, in cuius propinqvos animadverſum ſit, fuerit? an propterea authoritatem officii publici, vlla inimicitiarum ſuſpicio unqvam minuere potuit? aut qvi præ-

ſentes

ſentes fuerunt hi ſunt, qui non fidem, ac juſiurandum ſuum omnibus rebus potiora habeant? Verùm non debeo pluribus hac de re agere, cùm adſit præſertim V. Illuſtr. Cancellarius, idemqve Capitaneus Cracovienſis, à cujus officio decretum in Samuelem executioni mandatum fuit. Audiſtis igitur eum pro ipſius dignitate prolixè omnium earum rerum, qvæ acciderunt totiusque ejus ſupplicii rationem reddere. Dixit qvàm non modo inimico, ſed benevolo etiam animo apud Regem pro Sboroviis laborârit, Regis ipſius teſtimonio docere ſe poſſe. In ipſo ſupplicio juſtitiæ, ac juris publici: ante ſupplicium humanitatis ſummam etiam rationem ſe habuiſſe: neve in ſuam juriſdictionem veniret, ſepè ſe eum monuiſſe: ejusqve rei teſtes cùm alios tum ipſum Caſtellanum Gnéſnēſem laudari à ſe poſſe. Cùm tantarum rerum commemorationem ab omni eo tempore, qvo captus fuerat, fieri ab eo intellexiſſet, pro muneris ſui ratione non negligendas ſibi exiſtimaſſe: adfuiſſe, cùm iis de rebus Samuel diceret, homines complures honeſtiſsimos ex nobilitate, tum juratum etiam officium. qvæ cognoviſſet, muneris ſui exiſtimaſſe, ad Regem ac Senatum deferre: hæc ita Samuelem locutum certum eſſe: qvantum contra reum valeant,

ipſos

ipſos judicaturos. In tam claris igitur atque apertis rebus qvis vel mihi locus amplius dicendi, vel illis contradicendi relictus eſt? Qvo enim nunc con fugient? teſtium né fidem elevabunt? At tot, talium virorum qvî poſſunt? deinde etiam ut nulla omnino teſtimonia ſint, tamen cùm literæ, ſignum ejus, cùm vox ipſa qvodam modo ejus tot graviſsimorum criminum teſtis in judicio prolata, contra eum atqve audita ſit, nulla certè ratione effugere condemnationem poteſt. Qvi jure Cæſareo utuntur, ut minima ſuſpicio extitiſſet, ad qvæſtionem eum popoſciſſent, res, conſilia omnia ipſius excuti, in miniſtros, conſcios, qværi poſtulaſſent. Nunc ne ea qvidem diligentia, qvæ liberis temporibus à ma giſtratu Romano in lõgè levioribus criminibus adhibebatur, ut utamini poſtulo. Qvæ enim ab illis non patefaciendorum criminum via tentabatur? Qvibus rebus non id agebant, ut libertas publica minueretur, ſed qvò ſceleribus punitis qvàm maximè conſtitueretur. Qvæ enim forma ullius reipub. eſſe poſsit nédum liberæ, in qva omnium ſcelerum ſumma impunitas ſit: qvid autem intereſt an publicè pœna omnis removeatur, an qværi in reos vetetur, aut apertis rebus contra eos prolatis fides non adhibeatur? Nam per Deum immortalem, ſi omnium temporum conjurationes inſpiciamus, ſi judicia

dicia majeſtatis, qvæ in Romana rep. plurima habita fuerunt, conſideremus, in qvo nam tot rebus teſtatum, deprehenſúmqve, qvot in hoc facinus reperiemus? Primum illud atqve antiqviſſimum ferè cùm adoleſcentes nonnulli nobiles, ac in his filii conſulis ejus, qvi exactis regibus primus in civitatẽ libertatem, in domum ſuam conſulatum intulerat, cum legatis Tarqvinii de recipiendo eo cõjuraſſent, qvid præter indicium ſervi, colloqvia cum legatis, literas deniqve ipſorum habuit? Putatis né aut tam apertè eas ſcriptas fuiſſe, ut cùm præſertim legati adoleſcentium eorum gratia atqve authoritate in repetitione bonorum Regis ſe uti publicè præ ſe ferrent, non interpretationi locus in iis fuerit: aut neminem eorum illis temporibus tam ingenioſum fuiſſe, qvi non interpretationem aliqvam reperire potuerit? Sp. Melii verò. Sp. Caſſii, M. Manlii conſilia occupandæ reipub. gravioribus né qvàm hæc indiciis in judicium adducta, certioribusúe deinde rebus probata fuerunt? Qva alia ferè re Lentulus civis qvidem perditus, ſed tamẽ & ſummo loco natus, & qvi ſummos honores geſſerat, & tum gerebat, magis perculſus fuit, qvàm literis, qvas ad Catilinã miſerat. At qvales iſtæ ſunt? *Qvi ſim*, inqvit, *ex eo qvem ad te miſi, cognoſces. cum ut vir ſis, & cogita, qvem in locum ſis progreſſus: & vide qvid iam tibi ſit neceſſe.*

cum ut omnium auxilia tibi adiungas, etiam infimorum. Primùm ſine nomine: deinde qvid ſimile habent, cum illis iſtorum? qvid in his non dubiũ, qvid in illis non manifeſtiſsimum? Qvid in his non obſcurari poteſt? qvid in illis in ullam partem ambiguum eſt? In literis autem ad Allobroges qvid aliud erat, qvàm qvæ legatis eorum confirmaſſent, ſe facturos: orare ut item illi facerent, qvæ ſibi legati eorum recepiſſent. Qvid in his præter ſuſpiciones? cùm verò inſtrumenta ipſa conjurationis in domo Cethegi deprehenſa fuiſſent, color né illi ad ſuſpicionem à ſe removendam defuit? ſemper bonorum ferramentorũ ſtudioſum ſe fuiſſe dixit. Non ea enim ratio hujus criminis, ac conjurationum omnium eſt, ut tanqvam ſi fundum qvis emat, ad acta publicè id faciat. nam cũ aliâs omnium ſcelerum ea natura ſit, ut fugiant lucem hominum, tenebras conſeqvantur: cupiant latere: præſentiam aliorum metuant; tum maximè à conjuratoribus diligentiſsimè ejus rei cura adhiberi ſolet non modò metu pænæ, qvæ huic facinori ſingularis ſemper propoſita fuit, verùmetiam ne nefaria conſilia ſua, ſi cognita priùs fuerint, è manibus ſibi elabantur. Neqve tamen id poſtulo, ut ſuſpicionibus locum detis. cùm verò ita rem argumentis patefactam, literis, ſignis, voce ejus ipſius qvaſi teſtatam, à teſtibus confirmatam, unius deniqve conſcii mortui pro-

tui profeſsione agnitam videatis, ut nullus ne minimæ qvidem dubitationi locus amplius relictus ſit, ſi talia tantaqve facinora impunita patiamini, qvid aliud faciatis, qvàm ut audaciſsimo cuiqve ad patriam vaſtandam, Regem, vos liberosqve veſtros trucidandos, veſtra qvodammodo manu ferrum tradatis? Verùm tam ſingularium atqve inauditorum facinorum duplicem rationem defenſionis tentant. unã qvæ ad elevandum crimina pertinet, alteram qvæ ad evadendum. De criminibus ipſis hæc dicunt: literas ſaltem atqve dicta, aut ad extremum conatus, nulla autem facta in judicium vocari: Ita autem jure noſtro, moribusq. majorum eſſe comparatum, ut dicta contemni, puniri autem non niſi facta debeant: nihil aliud eſſe literas, qvàm ſermonem alicujus de altero carta incluſum: Vetus autem eſſe majorum noſtrorum dictum, niſi qvid in faciem alterius exprobratum ſit, moveri eo neminem debere: eandem rationem epiſtolæ eſſe, qvæ nihil aliud ſit, qvàm de abſente inter abſentes ſermo. Iam legem Sigiſmundanam, qvæ majeſtatis crimen definiat, facta ipſa reqvirere. Ita enim in ea ſcriptum eſſe: majeſtatis crimen nòn niſi in perſonam Regis committi: Cùm cõmitti crimen lex dicat, factum eam poſtulare: ad extremum ſi urgeantur, evaſionem tamen ſeu purgationem juratoriam decerni ſibi poſtulant, paratumqve

reum eſſe juramento ſuo aſſerere dicunt, nihil iis rebus, qvæ objectæ ſibi ſint, contra ſalutem atqve dignitatem Regis, aut reip. contineri, aut ſe unqvam ſuſcepiſſe. Proferunt, legem eam, qvæ de purgatione juratoria nobili inculpatę famæ deferenda in crimine furti & ſpolii lata eſt: uti etiam poſtulant beneficio privilegii Alexandrini, de qvo in ſuperioribus actionibus aliqvoties mentio à me facta eſt; in qvo de ſimili crimine ita ſcriptum ſit: pro ut æqvum, ac juſtum videbitur, reo purgationem decerni debere. De his rebus, nec qvomodo ſatis vehementer vociferari, nec qvomodo ſatis graviter eas refutare debeam video. vociferationem indignitas rei poſtulat, refutatione defenſio tam ab omni ratione remota nō eget. Dicam tamen de utraqve re, non qvòd ita neceſſe ſit, ſed ut, qvantum illi hac defenſionis ratione profecturi ſint, intelligant. diligenter enim illis conſiderandum puto, qvouſqve hac in re procedant. Et enim qvid poteſt eſſe indignius? vocata ſunt à me in judicium hujuſmodi crimina, qvalia in hac rep. nullo unqvam ferè tempore extiterunt: audita certè tam atrocia vix unqvam fuerunt. fides hoſti publico data, conſilium vaſtandi evertendiqve regni hujus cum eo captum: animus deinde in Regem infeſtus: injuriæ opinione inflammatus: cædes in Regem inſtructa: ratio, locus, tempus ejus patrandæ captata.

Om-

Omnia hæc cùm teſtibus, tùm ejus ipſius literis,manu, ſigno, voce, denique qvaſi ac propria confeſsione ipſius teſtata in tanta omnium ordinum hominū corona,qvantam ob judicii hujus celebritatem confluxiſſe videtis, à me docentur.Hîc qvantopere omnium mentes erectæ ſint, qvanta expectatio,qvid ad hæc tam atrocia & manifeſta crimina reſponſuri ſitis, intelligitis. tantæ hominum expectationi hac né ratione vos occurſuros exiſtimatis? Nullum crimen in judicium adducitur: dicta ſolùmmodo, literæ,conatus deniqve ac conſilia qvædam, eáqve iis ipſis literis ac conjecturis teſtibusq́. qvibuſdam eruta. nullum factum, nullum commiſſum qvòd in majeſtatis crimine leges noſtræ reqvirunt. Qvid igitur? num ut Moſcum in regnum induceret: ut Regem ipſum interficeret, expectandum fuit? Nonné ut omnium animi hoc refugiant: aures reſpuant: mentes deniqve omnium abhorreant, veſtra ſponte intelligitis? Dicent qvid tum? non opinionibus, ſed legibus judicandum eſt. Qvid igitur: nos né legibus an opinionibus vtimur? Dicitis nihil aliud literas eſſe qvàm ſermonem alterius de abſente. ſit igitur, at qvalis ſermo eſt? qvo dignitas Regis graviſsimè læditur. In eo igitur, convitia,& ſermonis contumeliam tantam impunita eſſe, vultis, qvæ majores noſtri ſaltem coram ipſo in alium, ac non ipſo ſolùm verùm Archi-

epiſcopo etiam, aut alio magiſtratu prolata graviſsimè punienda judicarunt? In qvæ eas revocationes, qvæ non multum ab extrema infamia diſtarent, qvæqve viris bonis morte ipſa acerbiores eſſe deberent, ſtatuerunt? Iam verò in hoc ipſo crimine majeſtatis, non né qvemadmodum ſuprà qvoqve docui, dicta etiam in crimen vocari, vel ex ipſa formula citationis, qvæ à majoribus noſtris hujus judicii cauſa tradita eſt ſatis conſtat? ſed obliviſcor qva in cauſa verſer: ita enim ago, qvaſi neſcio qvæ convitia ac non gravisſima crimina in judicium adduxiſſem. Qvid enim? dicta ſaltem ei objecta ſunt: ac non primò qvidem crimen Moſcoviticum proditionisqve contra patriam, qvòd rectà rempub. ipſam petit: inde clandeſtinæ machinationes, ſolicitationes, militis finitimi, ejuſdemqve ad ſeditiones accommodati: tempus, locus, opportunitas qvæſita: conſilia deniq. propter ſceleris metum ſecretò qvidem inita, ſed tamen ipſa luce meridiana ferè clariora. Conſilia, inqvient, igitur atqve conatus, non autem facta. ſi ea ſaltem facta vocant, qvæ perfecta ſint, qvæ unqvam punita facta ſint, mihi dicant velim: cùm ſi qvæ in rempub. ſuſcipiuntur, dum perficiantur expectetur, repub. everſa nullus amplius puniēdi ea locus relinqvatur. Vetus eſt Cornelii Taciti, gravis in primis ac boni authoris, de ma-

jeſta-

jeſtatis legibus. Erat, inqvit, legi majeſtatis nomen apud veteres idem: ſed facta arguebantur, dicta impunè erant: qvámvis qvod pace tanti ſcriptoris dixerim, hac qvidem in re meo judicio fallitur. unum ſolum judicium proferam. Claudia ſoror P. Claudii ejus, qvi bello Punico ſecundo claſſem amiſerat, cùm in turba premeretur, mulier ingenita ſuperbia exclamare cœpit, utinam frater meus viveret, iterumqve claſſem duceret. Ob dictum mulctata fuit. Verùmtamen cùm facta punita fuiſſe dicit, conatus né an perfectionem punita ſignificat? In illis enim judiciis, qvæ reipub. temporibus adminiſtrata fuerunt, qvorumq. ſupra nonnulla cõmemorata à me ſunt, liberorum Bruti, Caſii, Melii, Manlii, conſilium né prodendæ ac occupandæ reip. an exitus ac perfectio ipſa animadverſa fuerunt; aut verò, ſi id qvod animo conceperant, deſignare ac exeqvi potuiſſent, ullum né vocandi eos in judicium tempus reliqvum futurum fuiſſet? In omnibus certè rebuſpub. non qvid perfecerit qviſq. aut perficere potuerit, ſed qvid voluerit, vel in minoribus criminibus ſpectatum fuit. Dicunt hîc ſumptam opinionem hanc eſſe ex jure Cæſareo: depromptam ex libris legum; hauſtam ex gloſsis doctorum. Convenit verò ea non modò cum jure Cæſareo, ſententiisqve peritorum, qvibus ego vti minimè poſtulo: Verùm cùm

cùm more ac conſvetudine omnium gentium, cùm ratione ipſa qvæ debet eſſe communis omnium lex: cùm jure deniqve ſcripto noſtro, qvo maximè ſtandũ nobis eſt. Qvid enim? in perſonã regiam ſolam crimen majeſtatis committi leges noſtræ ſtatuunt. an propterea vulnerari aut interfici Regem voluerunt, ut crimen commiſſum dici poſſet? aut nullum crimen committitur, ſi vulnera & cædes ab eo abſint? Si qvis igitur omnibus probris te lacerârit, nullum crimen commiſſum erit. Verba enim qvædam effudit; cædes, vulnus nullum apparet. ſi tabulas publicas qvis corruperit: crimen commiſſum non erit: qvid enim ſunt aliud literæ, qvàm verba? cædem, vulnus nullum fecit. Perjeravit qvis? falsè aliqvid dixit? qvid tum? verba: vulnus, cædes nulla. crimen commiſſum non erit. Non opus eſt me per ſingula ire; qvàm pauca crimina futura ſint, ſi non alia ratione qvàm percusſione aut homicidio crimen committi ſtatuerimus, nemo eſt qvin intelligat. Qvòd ſi in Deum opt. max. rerum omnium harum àuthorẽ cõſervatoremq. multa graviaq. peccata à nobis committi & ſcimus, & qvotidie profitemur; qvámvis ille in æterna illa beatitudine ab omni noſtra mundiq. hujus contagione remotisſimus nec videri nec tangi, aut contrectari, multò minùs verò lædi à nobis ulla ratione posſit: Significamus opinor non mi-

nus

nus in eos crimina committi, ad qvos ſceleris noſtri vis penetrare non posſit,qvã in qvos incurrerit,qvos violârit, euerterit. Qvæ ratio ſi in omnes convenit, qvantò magis in eos valere debet, qvi qvòd Dei mu nus, iuſticiæqve ejus in terris adminiſtrant, ad majeſtatem Dei qvàm proximè accedunt? Verùm ego in re minimè dubia, legibusqve noſtris teſtatisſima nimis diu argumentari me intelligo.Etenim in re de qva judicio contenditur, qvid aliud me facere neceſſe eſt, qvàm leges, qvibus omne judicium continetur, recitare? Iam extant leges conſtitutionesqve in noſtra repub.latæ: qvibus partim gladiorum evaginationes corã Rege aut principibus factæ, & ſi nullus vulneratus aut cæſus ſit: partim voluntas ac conatus cõventuum judiciorumqve turbandorum: novisſimè etiam minæ ac machinationes in parentem conjectæ capitali ſupplicio puniuntur. Notisſimæ ſunt: in omnium manibus verſantur. Vtrum igitur vel majorem auctoritatem reqviremus? aut eos conatus, qvi illis legibus puniuntur, cùm hiſce, qvos ego in judicium vocavi, ſive ſceleris immanitate,ſive ejus in qvem ſuſcepti ſunt, majeſtate,ſive periculo reipub. conferemus? jam verò ipſa etiam formula reos criminis hujus citandi à majoribus nobis tradita qvæ crimina complectitur? qva ſæpè jam utor, qvod mos majorum in crimine hoc procedendi ma-

ximè ex ea perſpici posſit. Qvid igitur illi criminis hujus nomine in judicium vocant? *Citaris*, inqvit, *qvia tu poſtpoſito boni civis & fidelis ſubditi officio, dixiſti, aut qvod abſit, machinatus es.* Dicta aut ad extremū machinationem & conatum ſceleris crimine hoc in judicium vocant: Nullum hîc factum, nullum vulnus, nullam cædem, qvo nomine ipſi facta appellāt, accuſant. Eam ipſam autem machinationem graviſſimè abominantur. qvòd qvi in conatu hoc ſceleris faciunt, qvid in ipſo exitu facturos fuiſſe putatis, ſi qvenqvam extiturum cogitaſſent, qvi eum, pro qvo corpora noſtra omnes objicere debemus, ipſum vulnus aut cædem priùs excipere, ut tanti ſceleris reus in judicium adduci poſſet, vellent? Qvo ſi nihil poteſt eſſe abſurdiùs; ſi non modò cum ratione, verùm cum ſcriptis etiam juribus omnibus noſtris id pugnat, alia certè ratione utendum ſibi ſtatuant. Iſta mihi diluant ſi poſſunt: doceant non cum hoſte cōtra patriam conſilia eum agitaſſe: fidem illi dediſſe: pecuniam ab eo accepiſſe: non infeſtum animum in Regem: voluntatem ejus interficiendi habuiſſe: locum, tempus, opportunitatē ejus rei patrandæ qvæſita: militem finitimum ſolicitatum. Nam ut non priùs tanti ſceleris reus puniatur, qvàm qvæ nefariè cogitârit, ſceleſtisſimè perfecerit, ac qvod Deus omen avertat, vel ſuccubuerit illi Rex, vel vul-

vulnus aliqvod ab eo acceperit, id nec vos eo loco, atqve fide homines dicere decet, nec qvenqvam tã impium reperietis, cujus id non aures reſpuant. At verò paratus eſt reus ſacramento ſe purgare,jurareqve nihil ſe contra dignitatem ac ſalutem Regis vel reipub. unqvam cogitaſſe, feciſſe. Eſt id qvidem ipſius pietatis: non tamen noſtræ,ut etiam ſi ille pejerare paratus ſit, ultrò etiam perjurium ei deferamus. Qvid enim aliud qvàm certisſimum perjurium contra res tam apertas, manifeſtasqve permitteretur? At debetur illi, inqviunt, jure publico. Si lege antiqva qvę de purgatione viro inculpatæ famæ deferenda lata eſt,primùm de furti & ſpolii criminibus lata ea eſt; ut furti nimirum & ſpolii incuſationem integræ famæ nobilis juramento evadere posſit. Verùm transferamus eam etiam ad alia crimina. Tribuit lex ea beneficium id,ſi beneficium magis qvàm onus appellandum eſt,iis qvi integræ famæ ſint.Hic an reus in judicium adductus haberi posſit, in neutram partem confirmare me neceſſe eſt: vos judicabitis: nihil hìc de anteacta vita ejus dicam, de qva jam antè à me dictum eſt. id ſolùm jam dicam, bis fasſionibus ſupplicio affectorum delatum eum eſſe: ſemel ab Oſciko: iterum à fratre germano: deinde aliqvoties proſcriptum fuiſſe. Dicent hìc capturas eſſe eas non proſcriptiones; id eſt non ab ordi-

 nario

nario magiſtratu ſed ſub interregnum à temporario judice latas. Qvaſi verò non eandem vim habeant, qvæ interregni tempore in judiciis acta ſint, qvàm habeant ea, qvæ qvocunqve tempore acta firmisſima ſint. Hoc enim, ſi non dicam, negemus, ſed minima re in dubitationem vocari patiamur, qvis ſtatus reipub. interregni tempore erit? ſumma perturbatio omnium rerum conſeqvatur neceſſe eſt. Nulla judicia, nulli magiſtratus, reſpub. deniqve nulla erit: injuriæ, vis, rapinæ, cædes vbiqve dominabuntur. Sed qvid his opus? cùm extet & conſtitutio Cracovienſis, qva qvæ interregni tempore geſta ſunt, omnia plenisſimè ſunt confirmata: Nec certè minorem authoritatem obtinere posſit judicium, qvod confœderationis authoritate adminiſtratum eſt, qvā qvod legum. Verùm proferunt & tranſactiones qvaſdam cum parte, à qva proſcriptus eſt, quib. vim proſcriptionum earum ſublatam jam oſtendant. De iis hoc cogitent velim, non modò compoſitiones cum parte, ſed relaxationes etiam proſcriptionum à principe impetratas proferendas ſibi eſſe: qvas niſi exhibere potuerint, ſicut omninò non poſſunt, fruſtrà tranſactiones eas exhibent. Certùm enim jus eſt, idqve decretis qvibuſdam cùm Sigiſmundo Auguſto tum noviſsimè tribunalis regni teſtatum, neminem ſola tranſactione cum parte ad priſtinum jus, qvo

pro-

proſcriptione excidit, redire poſſe;niſi in civitatem, qvam proſcriptione amiſit, beneficio principis reſtitutus ſit.Sed fruſtrà ut opinor hæc à me diſputantur. vix unam enim ſolam tranſactionem proferunt: reliqvæ proſcriptionum eludendarum cauſa admiſsiones in poſſeſsionem ſunt paulò antè judicii hujus cauſa ſimulatæ;cùm proſcriptiones à tot annis jam factę ſint. Vt maximè igitur purgatio in judicio hoc locū habere poſſet, qvantum reus tamen ab hoc beneficio abſit,ſua ſponte credo,intelligunt. Verùmtamen qvis eſt, qvi eam ipſam legem, qvæ in promiſcuo uſu fortaſsis olim fuerit, poſteriore lege, qvæ de inqviſitionibus ſeu ſcrutiniis lata eſt, ſi non ſublatam: moderatione certè aliqva adhibita correctam eſſe ſciat? olim omnibus, ut qvisqve in crimen aliqvod vocatus erat, ad legem hanc provocanti purgatio permittebatur. Nemo dubitabat,qvin multi certiſsimum perjurium ſuſciperent, amoreqve præſentis vitæ æternæ amorem deponerent: Lata poſtea lex de inqviſitionibus eſt; per qvam ſi ut qvisqve in judicium criminis alicujus adductus eſſet, juramento periculum ejus evadere poſſet,minimè tam multi ultimo ſupplicio affecti eſſent, qvot ab eo tempore capitis damnati ſunt.Verùm eſt ea lege cautum,ut ita demū purgatio reo decernatur, ſi plures ac firmiores probationes ille, qvibus innocentiam ſuam tueretur,

qvàm accuſator, qvibus eam oppugnaret, haberet. Iam in hoc judicio primum literæ, manus, ſignum, vox deniqve rei: deinde tot fide digni teſtes producti ſunt. Ipſe præter ſimplicem negationem facti cõtra apertiſsimas tot res qvid habet? Eadem Alexandrini privilegii ſententia eſt; nihil enim aliud de eo dicam: cùm præſertim jam antè etiam dictum de eo ſit. Satis eſt, non ſimpliciter illo purgationẽ eam juratoriam reo decerni: SED PROVT IVSTVM ET AEQVVM VIDEATVR. Cui autem juſtum & æqvum videri poteſt, ut cùm accuſator tot tantasqve res, tam claras tam teſtatas in judicium adduxerit, eas reus ne verbo qvidem refellere poſsit; purgatio nihilominùs juratoria, id eſt certiſsimum perjurium, qvod publica authoritate puniendũ eſſet, publica authoritate ei permittatur. Accedit huc qvod de literarum interpretatione agitur: De ea autem diſertè legibus noſtris cautum eſt, ne in illa ab ipſis verbis recedatur. Qvomodo autem cum verbis epiſtolæ ac ſenſu adeò ipſius interpretationes illę ejus de Caſtellano Gneſnenſi deqve Melitenſi profectione conveniant, qvis tam ab omni ſenſu remotus eſt, qvin ſua ſponte judicare poſsit? Qvòd ſi contra ſcriptum ipſum: contra evidẽtiam literarum ac verborum prout cuiqve commodũ fuerit, interpretari ea rei permittantur, qvid cauſæ eſt, qvo minùs qvod in publico judicio eis tribuerimus,

erimus,

erimus, idem in privatis liceat; eademqve ratione omnes contractus eludi poſsint? Itaqve ſi qvis pecuniam ſe à me accepiſſe ſcripſerit: ego inſcriptionem proferam: ille ita qvidem ſcriptum, ſed interpretationem ſuam eſſe, juramentoqve eam ſe comprobaturum contendet: interpretabitur, ſe mihi non debere: jurabit: numis ego excidam. Qvo ſi nihil poteſt eſſe cùm à jure tũ ratione magis remotum, deſperét certè, talia tamqve manifeſta crimina vel cavillatione eludi, vel perjurio evadi poſſe. Vobis certè Sereniſsime Rex, ampliſsimiq. ſenatores, qvid decernatis, etiam atq. etiã jam conſiderandum eſt. Cum Moſco proditionem illũ agitaſſe, pecuniam ab eo accepiſſe, fidem ſuam contra patriam illi addixiſſe videtis. conſilia Regis tollendi, transferendi regni omniaqve turbandi iniuiſſe, certisſimis rebus deprehenditis. Hæc né in cujuſqvam alterius perniciem magis, qvã in cujuſqve noſtrum noſtrorumqve verſura fuiſſe putatis? non enim jam qvid perfecerit, cogitare debemus, ſed qvid molitus fuerit: ad noſtram enim ſalutem multum intereſt, perfecta ab eo conſilia illa non fuiſſe, ad ipſius pænam nihil intereſſe debet. Noſtra enim ſeu reip fortuna ſalvi ſumus, illius machinationibus periimus: qvicqvid iratus Moſcus, ſi ipſius cõſiliis ferrum in nos diſtringere potuiſſet, in nos liberoſqve noſtros deſignaſſet, ab illo qvantùn in ipſò fuit, per-

it, pertulimus. Qvantum in ipſo eſt, reſpub. principe ac patre ſuo orbata omnibus civilium diſſenſionum fluctibus jam jactatur: omnes externorum hoſtium injurias excipit, omnibusqve iis malis conflictatur, qvæ vel ſcelus inteſtinum, vel externus furor invehere in rempub. poteſt. Et ne proprio qvidem periculo commovebimur? ac ſi patriæ amor ad ſalutis ejus curam excitare nos non poteſt, ne noſtræ qvidem noſtrorumqve incolumitatis ſtudium à remisſione atq. diſſolutione animi ad diligentiam ac curam nos revocabit? Eqvidem neminem tam inſanum eſſe puto, niſi qvi ſit inſanisſimus, qvi cùm eum diem ob oculos ſibi proponat, qvo qvem illi Regem de medio tollere nefariè cogitârant, natura atqve fatum ereptura nobis ſint, non qvàm longisſimè illũ abeſſe cupiat, non reip. calamitoſum omnibus deniqve luctuoſum futurum putet? Duo noſtra memoria interregna vidimus: qvod eorum ſine incommodo reipu. fuit. Iactabatur ea tanqvam procellis qvibuſdam hinc inde, ſine rectore, ſine certo conſilio, ſine ſpe certa perveniendi in portum: vexabatur à Moſco: diripiebatur à Tartaris: virgines pueros in immanisſimam ſervitutem abduci videbat: ſummo in mœrore oppreſſa jacebat: in luctu, ſolicitudine, cura, omnes boni erant: pauci improbi ſoli, qvi qvæſtui rempub. habebant, exultantes, ut tantò magis deplo-

deplorandus caſus reip. eſſet, gaudio ſuo faciebant. Nihil hîc adhuc de inteſtinis diſſenſionibus, regno in duos principes diviſo dico: qvòd hæc aliis omnibus ferè periculis graviora, leviora fortasſis videri nonnullis posſint, qvòd ſine incommodo ſuperata ſint. Harum igitur tot & tantarum cladium metum cùm ſpontanea mors ejus nobis allatura eſſet, qvantò eæ graviores incubituræ in remp. fuiſſent, ſi hi omni jure violato, tam nefario ſcelere eam pervertiſſent? Et tamen qviſqvam né adhuc miſericordiæ locum eſſe debere putat, erga eos, qvos ipſos nulla patriæ calamitas ad miſericordiā à ſcelere flectere potuit? ac non potiùs crudelisſimus cenſendus erit, qvi in gravisſimo patriæ exitio, qvod ſceleratisſimè cōparatum ei videat, nullo ipſe dolore commoveatur? Qvámvis ita hæc ego diſſerere videor, qvaſi in vtrāùis partem, qvicqvid de hoc ſtatuatur, integrum ſit, ac non magis cavendi qvàm ſtatuendi tempus ſit. Non de eo, credite mihi, agitur, qvàm miſericordes ſimus, ſed qvàm ſalvi eſſe posſimus. neve ſceleſtis parcendo, rempub. nos omnesqve noſtros perdamus. Qvod de hiſce ſtatutum fuerit, id de omni ſimili perfidia, ſcelere, maleficio, decretum exiſtimabitur. prudentiæ veſtræ eſt, non modò qvæ facta ſint animadvertere, ſed in futurum etiam ſaluti reipub. conſulere. Nam ſi in hunc animadverſum fuerit, qvis

eſt, qvi non videat, reliqvorum omnium etiam audaciam tardiorem ad ſcelus & evertendam rempub. futura? ſi paulò remisſiùs egerimus, reſidebit ſcelus hoc in repub. in eamqve cum interitu ac pernicie omnium noſtrum aliqvando erumpet. Id providere ac in perpetuum qvodammodo remp. contra domeſticam perfidiam atqve parricidium munire totum in veſtra poteſtate nunc eſt. Qvòdſi feceritis, non breve, neſcio qvod tempus, ſed multa ſecula reip. propagaveritis. Nunqvam florentius regnum hoc fuit: potentisſimo hoſte Moſco devicto: provinciis aliqvot adjunctis: vectigalibus auctis: nulla externa arma, nulla extrinſeca vis, omnib. vicinis partim amicitia ac fœdere devinctis, partim bello pacatis pertimeſcenda nobis videtur: domeſticum bellum manet. at cum qvibus hoſtibus? cum inſidiis, perfidia, ſcelere, amentia: qvàm capitalibus, qvàm pernicioſis reipub.? iis nunc obviam ire ac in perpetuũ qvodammodo à reip. pernicie amovere hoc uno judicio poſſe videmini. Itaqve te Deus opt. max. qvi multis gravisſimisq. temporibus ſingulari benignitate tua mirabiliter rempub. hanc conſervaſti, imploro atque appello; ut ſi hic nefaria mente conſilia contra rempub. ſuſcepit, ſi impias manus Regi patriæq. inferre voluit, dignum ſceleribus ejus exitum reperiat: omnibus autem eam mentem largiaris, ut qvæ patriæ. ac reipub. utilia atqve ſalutaria ſint, ſtatuant.

FINIS

Jego

Je° Mści Pánu Sámuelowi Zborowſkiému z Rytwián/ ꝛc. mnie Mściwému PAnu Brátu.

Móy Mściwy/ y namilſzy Pánie Bráćie/ꝛc.

NIE wątpię w tym / żeś W. M. z mégo oſtátniégo piſánia doſtátecznie to oboie wyrozumiał. Naprzód/ iáko z Królem ſtoiémy/ y czego ſye zſtámtąd ſpodźiéwáć mamy. A druga/ co o téy Nizowſkiéy drodze rozumiém. ꝛc.

Teraz tákże w tych dwu propozytiach zoſtawam/ y o tymże krótce y rzecz ſáme y zdánié wypiſzę moie. Y muśi mi tego długo być żal / że z W. M. Cyfer nié mam żadnych; bo wielé ieſt/ czego ſye liſtowi niebeſpieczno zwiérzáć. Ale moie to niedbálſtwo ſpráwiło / że iuż rzeczy gotowé máiąc / W. Mśćim onych nie oddał. ꝛc. Dniá wczoráyſzégo práwie doſtałem oſtátnią odpowiédź od Kánclérzá imieniém Królewſkim. Quid multis opus? Zgołá nic á nic ſye nie otrzymáło. W M. táyné nie ſą ſłuſzné y bárzo łácné condicyé náſzé. Pan Márſzáłek niczego niechćiał / iedno áby mógł 4000 fl. obiecáną domá śiedząc mieć annualim zá nagrodę znácznych y ważnych posług ſwoich: Z W. Mśći/ áby nieſłuſzną bannicią (bo ią y Kánclérz ták zowie) zdiecto. ꝛc. Moiéy petitiéy nie wſpominam, bo fráſzká: Ale gdy mną poigráwáli / chcąc mnie doloſo cantu ſuo, by oné Syrenes / in hos ſcopulos inducere, ábym lekkomyślnie paná mégo posługi zániechawſzy/ tu ná ich łżywych obietnicách zoſtáć miał: Jam rzékł, że Królowi y oyczyznie ſłużyć pro poſſe, gotówem; ále wdáć ſye w Królewſką posługę ná ten czás nie mogę: Przyczyny mam ſwoie, y ſłuſzné: miedzy którémi tę nawiętſzą dawam / że póki ia bráciy mey nie uznam być vſpokoionémi w wielkich krzywdách / które oni nieſłuſznie od Królá Jego M. odnoſzą / ia tu ſobie obiecowáć nic nie mogę / áni tym myśli ſwéy báwić chcę. Si enim in uiridi, quid in arido? &c. Y iákom tám oſtrzeł/ ieſcze zá pierwſzą audiencią / & pro dignitate Zborouiana mó-

wil/Pan Márßałek/da Bóg to czáſu ſwégo W. M. refe⸗
rowáć bedźie/ ⁊c. A tákemći ſye w niczym nie declárował/ áż
oto w tych kilku dniách/ kiedy mi ſye ták zdáło/ żem miał w
ſpráwách W. M. obu dwu co poćießnégo odnieść: tedym
o to prośił Królá/ áby *hoc liberalitatis Regiæ ſignum* ná mnie y w
cudzéy źiemi znano/ żebym mógł ten Jurgielt od nieg miec/
co go Spárwain (który w tych dniách tu w Krákowie
vmárł) miał: A ia zá occázyą káżdą/ y ludźie oſobné Kró
lowi wywiodę/ y ſam ſłużyć chetnie bede. ⁊c. A to być nie
mogło. Ná com ſye ia muśiał wczorá ſerdecznie rośmiać
przed Kánclérzem, *leuitatem eorum & impudentiam carpendo*, że mi
iednák śmieli wiele obiecowáć/ ábym ſye był iedno z ſtáte⸗
teczności méy namniéy ruſzyć dał: *& ante Baal flexiſſem genua.*
Ále vchował mię tego po té czáſy Bóg móy/ y vchowa by
ſnać y w naiwietßéy nedzy. ⁊c. To téż o mnie maćie.
Gnieźnienſki o co iedno prośił/ otrzymał: A tákći ná nas
y ná bytność owdźie náße/ náłowiwßy ptaßków/ vkazał
nam ſige: O którym/ nie wątpiémy/ że W. M. náß naimil
ßy Pan brát/ tóż co y my/ którzy go *pro Anathemate* mamy/
rozumiéć bedźieß/ á ſpólków z nim wßelákich zániechaß.
Jákóż inácżéy go krzćić trudno mamy/ iedno iáko Król y
Kánclérz go zowią: Że ten Zborowſki náß/ ten tylko do⸗
bry: o drugich nic: plewy to tám. ⁊c. W czym ſye ſmród
nic nie czuie/ że to nie iego godność ſpráwuie: ále że im
tego trzebá/ ták nas rozrywáć. O czym długoby piſáć.
Ale Bóg Oyców náßych/ onych/ y tego tám Judaßá w
tym nie poćießy. ieſcze pomyślim o ſobie/ choć nas tro⸗
chá: ieſczeć ten *ternarius numerus* do czego dobrégo ſye do
ćiśnie/ da Bóg. ⁊c. A ták W. M. wiedz/ że by ſye iedno
trochę odćielo przekazek (bo czáſowi folgowáć trzebá)
muśiémy o ſobie wiedźieć/ *in tota progenie noſtra*, kto náß/ á kto
nie náß: kto *diſpergit*, kto *congregat*. A ſpiſáć ſye potym przyi⸗
dźie/ ábyſmy *ex coniunctis ſanguine, coniunctiſsimi & fortuna & uolun⸗
tatibus* zoſtáli. ⁊c. Ták tedy rzeczy náßé z tym Królem
(*ſi hoc nomine dignus eſt.*) ſtoią/ że iuż *claßicum cecinerunt*, zágnieść
y wniwecz obróćić dom náß. Zácżym y ledá wróny kraká⸗
ią: ácz wtył/ y zá vßymá/ ále krákáią przedśie/ gdźie ie⸗
dno iáſtrząbá záyźrzą. Cóż tu czynić: Przedśię ták czynić

y poſte

y poſtepowáć ſobie / iáko mężóm przyſtoi: *Tu ne cede malis, ſed contrà audentius ito. &c.* Jákiémi tedy ſpoſoby / y iáko przyſtoy némi wáruiemy rzeczy ſwé / ná ten czás liſtowi tego nie powiérzam: ále vzna to złe y niezbożny człek / że ſye we złe czás ná niewinné y poczćiwé ludźie psim zebem ſwym puśćił. A miedzy inſzymi poćiechámi náſzymi / to niemnieyſza / że z téyże miáry wſzyſtká Rzeczpoſp. z ktoréy y my / vkrzywdzoná ieſt: *Commune hoc malum,* wſzyſtkim dobrym znáni: y ſą ludźi pełno po Królestwie / pełno ná dworze / náwet y w pokoiách v tych Sátrápów / ktorzy vpłákiwáią nád wzgárdą / nád vkrzywdzeniém tych / ktorzy záwſze od wielu wieków dobrymi ſługámi Rzeczypoſp. byli: ktorzy onym gárdłem y máietnośćią / póki iéy ſtawáło / záwſze ſłużyli: ták iż nas dobrymi ſtróżmi Rzeczypoſp. kuchnią chudych pácholków / ludźie vczćiwi / y ći co teraz iáko y my porzuceni ſą / názywáli / y nazywáią. etc. Ci mówie wſzyſcy / obaczą ſye czáſu ſwégo (á nie długo tego czekáć / że ſye w tym obaczą) że ták o nie / iáko y o nas idźie zá ná ſtáże da Bóg tych okrutników / ichże chléb teraz iedzą / y ná nim ſye wypaſáią / etc. Tráfi ſye tedy w to / że ſye przećiwko tym inſultom bedźie mogło nie ládá iáko záſtáwić. etc. O czym teraz nie trzebá piſáć. etc. Oné též conſilia náſzé ná trawie Zborowſkiey dobrze wkorzenioné w ſercách náſzych zoſtáły. W tym pod przyśięgą Bożą W. M. vpewniam / y *obteſtor,* ábyś W. M. nie wątpił. Ale dobrze to ſye z ſtáło / że ſye czás czekał / y ieſzcze muśi co inſzégo *matureſcere.* etc. Poznaſz to W. M. że dobrze wſzytko idźie / y ná dobréy ieſt drodze. *Reliquum eſt,* z ſtrony téy tám zábawki Nizowſkiey W. M. wolałbym był / ábyś tám W. M. był nie ieźdźił. Przyczyn doſyć / ále to v mnie przednieyſza / że ſye o W. M. boie / áby to Królewſka naprawá nie byłá. Ale iżeś iuż W. M. tám ieſt / ſtáray ſye W. M. o dwie rzeczy. Pierwſza / ábyś w dobrym záchowániu / w dobrym porozumiéniu to tám Rycérſtwo z domem Zborowſkim zádźierżał. Jákoż ia wiem co ná tym należy nam. etc. A dla tego piſze ia imieniem moim y Páná Márſzałkowym do nich liſt / którégo Copiią W. M. *propter informationem,* áby wiedźieć / do czego / y iáko ie wieść / poſyłam: Z owymi téż ſám Poſty y mówi-

 ło / y

lo/ y obeſzło ſye ták/ iáko ſye godziło. Druga/ ábyś ſye W.
M. zſtámtąd iáko naiprzedzéy pokwápił. O co y dla Bogá
proſimy: bo nam niewymownie trzebá W. M. ꝛc. Co nam
rácz dáć o Boże náſz/ ábyſmy rychło W. M. zdrowégo mieli/
ꝛc. *Iam ad minora.* Gnieznienſki żadnym ſpoſobem ná wielkie y
moie y Páná Leśickiégo nálégánie 2000 fl. zá konie dáć
niechćiał: owſzem (ácz nic mówił nic) ále przytrząſał/
żeſmy ſynowcá podeſzli. ꝛc. Atóż nie przyydzie W. M. ie-
dno wróćiwſzy ſye da Bóg zdrowo / wziąć *in duplo* w Ká-
miónce: A *interim* áby ſmród poznał / że Cuoion: tákem go
ſwiſnąć vmyslił. Powiem / że chróniąc ſye ia tego / áby
mie kto nie rozumiał / żem ſynowcá w dług wprawił / te-
dy (ácz nie rad) ia té konie wezmę/ y iuż/ y bedę zá nie iá-
ko to W. M. odpowiedał. ꝛc. Cóż będzie? Gnieźnienſki
mnie konie wyda ze wſzyſtkim: á ia ie wezmę: W. M. wol
no nie przeſtáć ná mnie (iákóż o to proſzę) y wolno będzie
ſowićie ſobie ſzkodę nágrádzáć/ y dług: á ia przedśie koni
niepłácąc doſtánę. ꝛc. Druga / ná Sledzieiowice iuż bę-
dą 10000. fl. by iedno Pan Márſzałek z Rádomiá z ro-
ków przyiáchał/ który iutro pewnie we Zborowie będzie. ꝛc.
A ſtaw przy W. M. zoſtánie/ ꝛc. Pan Jordan ná to ow-
dzie czeka/ y odebrawſzy pieniądze do W. M. pobieży. Ja
iutro Buśiá náſzégo do Wiédniá naprzód po liſty Céſar-
ſkie / á potym zſtámtądże z vpominkámi do Pániéy wdo-
wy poſyłam/ o którey wſzyſtko ieſcze poćieſzné ſłyſzę. Day
Boże fortunnie to począć / y ſkończyć. Wierz mi W. M.
że to nie ládá grzanká. ꝛc. Sám ſye nadáléy czterzy nie-
dzielc zádzierże dla owych więtſzych wyſzéy námienio-
nych rzeczy. ꝛc. ꝛc. Myslą owdzie o rychleyſzym Séymie /
niż práwá náſzé ćierpią: á to dla poborów. A ná W. M.
to tám złożą/ że im dla tám téy woyny z Turkiem / którą
mienią/ że wy náwárzyćie/ podatków trzebá. Atóż / *per non
compiacer a gli inimici noſtri*, dla Bogá nic głównégo nie poczy-
nayćie: bo Królowi poſłużyćie (choć ten czyni/ iákoby te-
go nie rad widział) á ſzláchte obruſzyćie ná wieki/ któréy
nam/ zwłaſczá teraz/ trzebá. ꝛc. ꝛc. *Sapienti ſatis. &c.* W
Jſlanciéch tumult z Królem Dunſkim/ do którégo / cno-
tliwégo człowieká y wielkiégo przyiacielá náſzégo ſlą/ Pá-
ná Cze-

ná Cześnika Brodę. etc. Ci Nizowcy wáſzy byli wczorá przy tym/ kiedym z Kánclérzem mówił. Dáley nie mam co piſáć/ tylko łáſce y miłośći bráterſkiey poſługi moie zálécam/ y wiecznie oddawam. Pánie Chryſte day nam W. M. w rychle dobrze zdrowégo oglądáć. Amen. W Krákowie 17. Jul. Roku 83.

W. M. Brát

y Sługá póki żyw

Anuśiá W. M. zdrowá: ále nie wie ieſzcze że W. M. ſzedł ná Niz. Będźie płáczu doſyć.

Zborowſki z Rytwiąnſt.

Kopija liſtu do Nizowców/ ktory Krzyſtoff Zborowſki właſną reką piſał.

Zacné Rycérſtwo Pánowie y przyiaćiele nam łáſkáwi.

ZA tym záchowániém dobrym/ ktoré wiedźiećie z Je° Mśćią Pánem Sámuelem brátem náſzym/ nie mogliſmy zániechác tym piſániém was náwiedźić/ y chęći przyiaćielſkié náſzé wam zálećić/ proſząc was/ ábyśćie ták w miłowániu y w ſzánowániu oſoby Páná brátá náſzégo/ tákowémi ſye nam popiſowáli/ iákoby tá przyiaźn náſzá ſye przymnażáłá/ y zá czáſem do lepſzégo porozumienia z domem náſzym przyśc mogłá. Co iáko wam nie tylko nie ſzkodźić/ ále y zá czáſem pomocno być może: Wy iáko báczni będźiećie to vmieć v śiebie vważáć/ y nie wątpiémy w tym nic/ że to dobré porozumienie wáſzé z námi / nie iedno y tu w Polſzcze będźie vważáło: ále my ná to iáko oglądáć ſye nie ieſteſmy powinni/ ták y o to máło dbáć będźiemy. Wy też więtſzégo y pewnieyſzégo zakłádu chęći y przyiáźni náſzych mieć áni żadáć od nas nie możećie / iedno y kogo teraz maćie / krew náſze/

J. M.

J. M. Pāná brátá náſzégo/ktoremu nie tylko ábyſmy gá-
nić mieli/ że ſye towárzyſtwem was ták zacnégo/ ſławné-
go rycérſtwá báwi/ á zdrowié ſwé y wam powiérza/ y zwá
mi poſpołu przećiwko nieprzyiaćielowi Krzyżá świetégo
ochotnie waży / ále y owſzem chwalémy mu to/ y do tego
go rádą y prosbámi náſzémi wiedźiemy. Rozumiémy to o
was / że w oſobie iego nas y przyiazn náſzę vſzánowáć nie
zániechaćie. A my w káżdéy potrzebie tákiémi ſye przyia-
ćiołmi wam popiſáć chcemy/ iákośćie tego ſą iśćie godni.
Jákóż zá tą dobrą ſławą wáſzą/ ktorą nie tylko tu w Pol
ſzcze/ ále y po cudzych kráiách/ v Céſárzów/ y wielkich Kró
low ſłyniećie / nie długo nam da Bóg tego czáſu czekáć
przyydźie / że ſye ſobie w iákiéy ważnéy ſpráwie przygodźić
będźiem mogli. O czym iż ſye piſáć nie godźi / wolemy tu
záwſze J. M. Pánu náſzému / á niż liſtowi powiérzáć.
Ná ten czás nic inſzégo/ tylko chęći przyiaćielſkié náſzé W.
M. zálécáiąc/ wam Bożéy łáſki y fortunnégo przećiw w-
ſzyſtkim nieprzyiaćiołóm powodzenia winſzuiemy.
Datk zć.

EMENDANDA.

Fol. 10. ver. 4. impendat, leg. impēdeat. fol. 27. ℣ 21. Hoc, leg. hic. fol. 35. ℣. 23. Themiſtoclem, leg. Antiphontem Rhamnuſium. fol: 36. ℣. 9. ac vniuerſos, leg: an vniuerſos. fol: 39. ℣. 9. comitti, leg: committi. fol: 40. ℣. 11. Sigiſ: Aug: abundat Aug: fol: 60. ℣. 26. Tarlovæ, leg: Tarlovnæ. fol. 61. ℣. 14. ad nuptias, quæ tū forte erant, leg: quę tū futurę erāt. fol. 66. ℣. 7. Motte interim Maximiliano leg. mortuo interim Maximiliano. fol: 72. ℣. 14. noſtri Ducis, leg: noſtri Ciarij. fol: 98. ℣. 20. fortutuna, leg: fortuna. fol: 112. ℣. 7. & ſeq: dū nos bonos cuſtodes reip: publicā culinam egentiū virorum, eadēq; modo alios homines honeſtiſsimos, ſi qui pariter, vt & nos ſint abiecti, appellare ſoliti fuerunt, & adhuc appellent, leg dum nos bonos cuſtodes reip: publicam culinam egentium virorum homines honeſti, & qui pariter vt & nos, nunc ſunt abiecti appellare ſoliti fuerunt, & adhuc appellent. fol: 124. ℣. 15. quàm primò, leg: quàm primùm. fol: 129. ℣. 12. non potuerit, leg. non potuerint. fol: 135. ℣. 20, quo, leg: qua. fol: 142. ℣. 12. & Bokſchicius teſtatur, leg: & Porudenſcius teſtatur. fol: 144. ℣. 7. afferunt, leg: afferant. fol: 152. ℣. 15. emat, leg: vendat. fol: 168. futura, leg: futuram. Reliqua ſi quę ſunt, per ſe quilibet facilé animaduertet.

FINIS.

Ancho[r]che V.S. ~~come io la credo~~ certissimo ~~lo credo che io mi imagino~~ o Sauirla cognosciuta per esser si gentile et si cortese come quelli c non ha fatto altri se non che io me posso imaginare cosa nessuna senza scoprir la eccellentissima sua natura

Anchorche la gentileza et la cortesia di V.S. si di tal gra, si grandi come quelli
Essendo la gentileza et la cortesia di V.S. for... e che in ogni minima cosa che V.S. fa si ... Perche tutti gl'effetti per una ch[e] ragiono le mostrano sempre non la natura et la qualita delle lor cause. Ma come tra quelli ch[e] differenza mostrandola un piu del altro per che non sclamere m'ha mostrato questo grandissimo favore m'anchor ~~f. ...~~

Gioseppe d'Amato servitore
del sig.re Nicolo Brzesinski suo servi

Andrea Dombrski [illegible]